
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
41
6 B
22
ROMA



Coll. Rom: Soc. Iesu Catal. inscrip.

ANNVAE

LITTERAE SOCIETATIS IESV

ANNI. M. D. LXXXIII

AD PATRES, ET FRATRES eiusdem Societatis.



ROMAE,

In Collegio eiusdem Societatis.
M. D. LXXXV.
Cum facultate Superiorum.


A S A. D. Orlandinus

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV ANNI. M. D. LXXXIII.



PATRIBVS FRATRIBVSQVE Societatis Iesu gratia, & pax Christi Domini, &c.





ERIVS omnino quam par erat Patres Fratresque carissimi laborum vestrorum fructus mittuntur ad vos: nihil tamen de fructuum iucunditate tarditas ipsa decerpet, qui quanto auidius expectantur, tanto iucundius degustantur. Morae autẽ non vna causa fuit: primũ litterarũ prouincialiũ expectatio, quae & si à plerisq. tẽpestiue fortasse dantur; non tamen ab omnibus tempestiue redduntur. Deinde tum eius, qui hanc annuam vniuersæ Societatis memoriam colligabat, tum eorum, quibus postea ea mandata res est, vel valetudo vel occupatio. quorum illi valetudinis causa à scribendo fuit omnino cessan-

 dum;

dum; hisce partim morbo implicitis, partim occupatione præsenti, impositum subire onus non prius licuit, quam fere lapsus est annus. itaque cum dandæ fuerant litteræ, tum denique scribi sunt coeptæ. Sed in his quæ mittuntur ad nos is delectus habetur, quem & scribendi formula nobis tradita, & ratio ipsa præscribit: vt minime mirum videri debeat, si & ea prætereantur, quæ fortasse commemoranda, & ea commemorentur interdum, quæ non nullis tacenda videantur. Verum quia in iis quæ aliena videntur reiiciendis non nostrum iudicium sequimur sed aliorum; nemo mea quidem sententia iure condemnet, quæ vnius quidem labore, multorum tamen approbatione collecta sunt. Nam si quid dignum totius Societatis auribus afferatur; quid est quod quisquam malit quam carissimorum labores fratrum litteris commendari suis, eaque maxime ratione in partem vocari meritorum, qui particeps non sit laborum? Equidem hoc in me recipio quicquid sine controuersia dignum litteris fuerit, in eo nec fidem scribentis desideratum iri, nec diligentiam. Iam vero vt ad rem propius accedamus. Ex tribus & viginti prouinciis, quibus omnis Societas continetur, nec à Belgica, nec à Peruana Prouincia acceptæ sunt litteræ. In his vero quæ acceptæ sunt, inita est sociorum summa quinque millium nongentorum ac vigintiquattuor. Eorum vero quibus aucta Societas est quadringentorum circiter ac septuaginta. Eorum qui interierunt, si eos quos Martyrii laurea donatos accepimus, eximamus, fere centum ac quattuordecim. Collegia multa & quidem

cum

cum opulentis reditibus sunt reiecta. Tria vero dumtaxat admissa si sedes quasdam quæ nunc primum in Collegij formam redactæ sunt excipiamus. Vnum Barij in Neapolitana Prouincia, Rigæ alterum in Polonia, Tertium Dolæ in Comitatu Burgundiæ. Professorum domus vna Panhormi. Angrense vero Collegium in Lusitania superiore anno amissum, recuperatum. Hæc de vniuersa Societate. Nunc de eius partibus prouincijsque dicendum.



PROVINCIA ROMANA



Omiciliorum in Romana Prouincia numerus idem qui superiore anno. Socij autem quingenti circiter ac nonaginta. In Domo Professa centum. In Romano Collegio centum & octoginta. In Domo Probationis octoginta. In Lauretano Collegio quadraginta. In Seminario Romano triginta. In Collegio Florentino tres & viginti. In Perusino viginti: totidem in Pœnitentiariæ. In Maceratensi septemdecim. In Senensi quindecim. In Recinetensi quattuordecim. In Collegio Germanico tredecim. Vndecim in Anglicano. In Tyburtino nouem. In Illyrico, & Amerino, & Tusculana sede in singulis seni. Admissi sunt in Societatem quattuor & quinquaginta. Morte amissi quattuordecim.

DOMVS PROFESSA ET Collegium Romanum.

A *Tque vt ab ea Domo capiamus exordium, vnde omnis Societas ortum habet, Hoc anno demum excelsa Farnesiani templi moles absoluta est: cumq. proximis annis pars duntaxat ædis vsui esset, nequaquam nostris satis apta muneribus; nunc in suam amplitudinem patefacta, maiorem nobis aperit campum bene merendi de proximis. Vnum desiderari videbatur ad commendationem nouæ Basilicæ, vt quemad-*

modum candentibus est exornata lapidibus; ita san-ctorum Reliquijs tamquã gemmis illustraretur. Quod quidem à summo Pont. pro ea qua est in nostrum ordinem voluntate facile est impetratum. itaque eius iussu BB. Martyrum Abundij & Abundantij corpora è SS. Cosmi & Damiani basilica in ædem nostram ingenti ciuitatis lætitia celebrique pompa translata sunt. Quæ res quoniam in eorum Martyrum vita, quæ non ita pridem edita est, accurate describitur; nos eius narratione supersedebimus. Idem Pontifex Max. cũ per æstiuos calores ad D. Marci de more versaretur, incidissetque dies B. Virginis Assumptioni sacer, quo die sacrorum solemnia in sacello Pontificio celebrantur; ædem nostram, quæ cum D. Marci penè continẽs est, ad eum agendum celebrandumque diem sibi delegit. itaque tum primum in ara maxima magnifico extructa opere sacrificari cœptum est. Aderat Cardinalium corona ceteraq. Pontificalis curiæ pompa, multitudo vero tanta, quantam noui templi facies, & nouus ille consessus allexerat. Magna sane est habenda gratia Farnesio Cardinali, cuius summam liberalitatem cum semper experti sumus in tanti operis molitione, tum hoc anno ad eius operis absolutionem septẽ ab eo scutatorum millibus donati sumus. Nec desunt alij, qui præcipuo quodam liberalitatis studio huic tẽplo munera deferant: præcipueq. vnus solido ex argento lampadam eximio opere elaboratam dono dedit. Quod ad animarum fructum pertinet, si Pœnitentium numero metienda res est, satis est argumẽti operam in hac domo non inutiliter collocatam, vbi quin-

gentis amplius repetita ab ineunte ætate peccata per confeßionem expiarunt. Quibuſdam etiam adiumento noſtri fuerunt, vt huius vitæ ſpretis illecebris ſua ſtudia Societati dicarent. qui quoniam magnis quibuſdã ſunt instructi præſidijs ad res præclare gerẽdas, multum in ea re lucri exiſtimatur feciſſe Societas. Nimirum compenſanda iactura fuit, quæ è P. Ioannis Maldonati interitu facta eſt. qui propter eximiam virtutem ac reconditam ſapiẽtiam maximum apud omnes ſui deſiderium reliquit. De profeſſorum domicilio ſatis. quamquam illud quoque videtur huc facere, quod Carthuſianæ familiæ magiſter ad noſtrum P. Generalem litteras dedit religioſæ charitatis plenas, quibus à Patre petebat, vt priſtina inter ſuum & noſtrum ordinem amicitia renouaretur, eaque publicis teſtata codicillis poſterorum memoriæ commendaretur. Reſcripſit ad eas litteras Pater & per honorificum diploma dedit, quo meritorum communionem Societatemq. inter vtrumque ordinem confirmabat.

In Romano Collegio idẽ hoc anno rerũ curſus. Scholæ noui expectatione Gymnaſii magna auditorum frequentia & nobilitate ſunt auctæ. Quo tempore Beatorum illorum corpora, quos ſupra nominaui in Profeſſorum templum transferebantur; Noſtri, quoniam ante Collegium pompa illa traducenda erat, vt eos Beatos litterarum etiam munuſculis honorarent, vniuerſam Collegij faciem tum varietate ac copia carminis tum alijs artis ingenijq. operibus exornarunt. Magna ad ſpectaculi nouitatem multitudo concurrit. & vero lætior res fuit quam quæ poßit oratione depingi.

E Gym-

E Gymnasio atque è Sodalitio Dei Matris tum in Societatem sunt recepti non nulli, tum alij ad alias familias cœnobiaq. dimissi. In his adolescens claro loco natus, & cum philosophia perpolitus in primis, tum præclaris quibusdam naturæ donis ornatus. is cum Societatis cupiditate flagraret diu multumq. iactatus est à domesticis, vt quo diuturnior esset cum parentibus pugna, eo virtus redderetur illustrior. Sed quoniã sponsione voti sese obligauerat Deo, Patres & ne quid discriminis in medijs fluctibus tenera ætas adiret, & vt omnem à se suspicionem inducti iuuenis remouerent; reddita ei votorum formula, quam in scriptis acceperant, pro iure potestateq. sibi concessa ab omni eum sponsione liberarunt. Ille vero non modo liberari se nõ est passus, sed paucis post diebus tanto arctius voto se religionis obstrinxit, schedulamq. retulit eam, quæ votorum formulam cum renouata sponsione contineret. Diem sibi parentes sumpserant satis laxam ad explorandam, vt illi aiebant, adolescentis constantiã, vt alij interpretabantur, ad infirmandam ac labefactandam. Sed tantum abest, vt is aliquid de suo ardore studioque remiserit, vt deuictis iterum diuturna pugna parentibus ad Nouitiorum domum duplicata gloria reuerterit.

Missi sunt ex hoc Collegio non nulli in agrum Picenũ Episcopi Camertini rogatu, qui suam in eo agro diœcesim habet. Ac cũ alijs rebus, tum tradendis christianæ disciplinæ præceptis perutiliter laborarũt. accipiebantur quibusdam locis tam auidis animis, vt ad eorum aduentum pulsarentur æra campana, publica-

que

que edicta fierent, vt intermissis ludis ad Catechismũ se quisque conferret. Lustrata sunt præcipuæ Recinetum ac Tolentinum: sed è finitimis pagis paganorum veniebat caterua hanc vnam ob causam, vt Christianæ legis præceptis imbuerentur. Habebantur doctrinæ conuentus primis fere tenebris cum vulgus opificum ab opere conquieuit. templum plurimo lumine collucebat, auditoribus ita refertum, vt nocturna Natalis Christi celebritas videretur. His rebus vbi vbi nostri fuerunt, mirum quantum sibi omnium animos adiunxerunt. itaque ægre illi diuellebantur à nostris: quin etiam ea fuit in digressu vis lacrimarum ac precum, vt nisi ante lucanis horis nostri discederent, cogerentur morari diutius.

DOMVS PROBATIONIS ET Pœnitentiariorum.

Accesserunt ad Societatem in hac domo varijs è nationibus quattuor & quinquaginta: atque in his multi doctrina, nobilitate, virtuteq. præstantes. Vincentius Ducis Terræ nouæ, eiusdem Mediolanensis Gubernatoris filius Societatis ineundæ consilio simul ac Romam attigit, vna cum Duce militum rerum peritissimo ac probatissimo, tribusque famulis ad D. Andreæ recta contendit. P. Generalis ne quid eius parentem offenderet, noluit hominem nisi ab eo potestate facta recipere. Dum responsum expectatur adolescens apud nos diuersans ex maris & itineris afflictatione periculosum in morbum incidit. Id vbi Farne-

ſius Cardinalis reſciuit pro ea, quæ illi cum eius parẽte neceſsitudine intercedit, & quo commodius curaretur in palatium ſuum abducere ſumma ope conatus eſt. peruicit tamen Vincẽtij conſtantia præſertim medicorum nixa conſilio ne loco moueretur. Cardinalis periſtromatis conueſtiri cubiculum eoq. ſuum lectum deferri iuſsit, & peritos medicos ventitare. Verum cum placita eſſet Deo anima illius raptus eſt ne malitia immutaret cor eius. itaque paucis diebus elatus in Profeſſorum domo tamquam Societatis nouitius ſepulturæ mandatur. Dux autem eius Pater eodem fere tempore, & de conſilio & de obitu filij certior factus, non modo domeſticum vulnus ſapienter moderateq. tulit, ſed plurimũ etiam ſe Societati debere per litteras ſignificauit. Ille vero Dux militũ de quo diximus Societati ſeſe adiunxit. E ſeruis vnus adhuc Turca cum ſimul cum domino ægrotaret, nec in ipſo morbo chriſtianus vt fieret adduci poſſet; tandem fratrum noſtrorum qui illi aderant humanitate & ſcilicet fuſis ad Deum precibus emollitus Chriſtiana ſacra ſuſcepit. Vir nobilis præcipuoq. muneri in Romana Curia præpoſitus, data â Pontifice Max. poteſtate ad Societatem noſtram ſe contulit: is præclara præbet ceteris documenta virtutis: homo delicate enutritus ſingulares commoditates fugit, & Sacerdos ac bene doctus cum ſit demiſsione ceteros vincit: obſoletis indutus veſtibus ſtipem corrogat: idq. in celeberrima non numquam trapezitarum via vbi notiſsimus erat non ſine ſuorum lacrimis ac rubore. denique nihil eſt in nouitiorum vita tam humile; nullum tam leue munus,

quod

quod studiose & cumulate non expleat. Multi sunt huiusmodi, qui repudiatis vitæ cōmodis nudi ad vexillū Christi Crucis aduolant; sed quia non est satis fundamēta iecisse, nisi incohoato operi fastigium imponas, optandum à Deo est, vt cuius nutu ædificare cœperūt, eiusdem ope consument. E Societatis meditationibus magnus & à nostris & ab externis perceptus est fructus; ex quibus vnus cum mirifice affectus esset, affirmauit fore vt Lutherus ipse, si illis commentationibus vteretur ad sanitatem rediret. Andreas Batorius cū à Rege Poloniæ patruo ad Summū Pont. legaretur, antequam Pontificem ipsum adiret, ne Cardinalium & præsulum salutationes anteuerterent, huc se contulit: vbi quæ est eius ad pietatem propēsio vita illa tironum admodum delectatus; etiam sortitioni sanctorū quæ cuiusque mensis primordio fieri solet interesse voluit, citariq. de more, vt quem sors tulisset Beatum, eū ipse colendum susciperet. Hæc domi. Illa foris. Ferentillum oppidum est non longe ab vrbe distans; huc Sacerdos cum comite missus magnam è suis laboribus vtilitatē cepit. In agro Ferentillo duo sunt oppida, tam inter se coniuncta situ, quā disiuncta animis incolarū: veteres enim inter eos intercessere discordiæ. vtrumq. oppidum solo amne discernitur. accidit per id tempus vt auctus imbribus amnis fluctibus oppositas moles euerteret ac disijceret. Conuersa vis est aquæ ad alterum oppidum tāto cum frugum agrorumq. periculo, vt ea prohiberi ab incolis nullo modo posset. Pater qui in aduerso morabatur oppido ad ferendam fratribus opem populum cohortatus, cum dicendi finem fecisset,

ad

ad coercendam vim fluminis sequi se iussit. Hæc res tantum valuit ad exemplũ, vt quamquam gens illa vt diximus ab altero oppido veteri odio dissideret; depositis tamen inimicitijs sublatisq. in humeros lignorum fascibus ad auxilium pene tota concurrerit. Itaque factis ex materia quæ comportabatur aggeribus cohibita vis est fluminis in præsẽtia, ne suo alueo excederet.

E Collegio Pœnitentiariorum quicquid ad proximos vtilitatis manat, id totum munus est confessionũ. Hæretici tres à corrupta & deprauata ad integram & sinceram religionem traducti sunt. Cœnobitæ quinque, cum à suis familijs abiecto suauissimo Christi iugo turpiter defecissent, ad eas iterum nostrorum hortatibus redierunt. Duo autem non infimæ conditionis homines cum per dæmonis fraudem induxissent in animum alter laqueo, alter fluctibus interire; fraude à nostris patefacta ad meliorem mẽtem reuocati sunt.

COLLEGIVM GERMANICVM & Seminarium Romanum.

E *Germanorum Collegio tres Romæ ad Societatem aggregati sunt, ijque Theologi omnes. In patriam rediere duodecim; in his Sacerdotes quinque, de quibus omnibus vt item de alijs aliàs dimissis optimi nuntij perferuntur ad nos. Summi Pont. in hos Alumnos studium tamquam parentis in filios, & cum eos omnibus souet officijs, tum die illo qui B. Apollinari sacer est, quoniam Collegij patronus est, in eius templum venit vt sacris adesset. inde migrauit in ædes, vbi repente*

te sese illi obtulit Alumnorū corona, qui linteati omnes vt è templo prodierant Pontificis morabantur ingressum. substitit ad id spectaculū Pontifex vna cum Cardinalibus, ex eoque mirificam visus est cepisse animo voluptatem; lætariq. se vehementer significauit, si Alumnorum numerus augeretur. Quoniam vero & summo Pont. & Cardinalibus qui Collegio præsunt visum est, vt nemo in illud admittatur, quin aut inter nobiles numeretur aut insignem aliquam ingenij indolem præseferat; data est à nostris opera vt huius generis adolescentes potissimum conuocentur. ij iam numerantur ad quadraginta alijque expectabantur in dies. Et quanquam nobilitate à ceteris distinguuntur; omnes tamē eodem cultu corporis, eodemq. victu mirifice gaudent. Nec vero studijs pietatis ceteris cedūt Alumnis, sed plerumq. palmam ipsi præripiunt: tametsi laus hæc non tam horum propria est quam vniuersorum. Quo tempore Coloniēsis ille motus extitit, & res Catholica laborare vehementius videbatur, nūquam desitum est frequentandis pijs in vrbe locis, subeundisq. sua sponte pœnis felices à Deo rerum exitus comprecari. ad eam rem indicta est de more supplicatio in horas quadraginta distincta. cui non modo frequentes interfuerūt Alumni, sed ad eam quoque ciuitas pene tota conuenit. Sed Alumnorum is erat ardor, vt eorum aliqui certis temporum spatijs non contenti, quæ cuique ad orandum finiebantur, longiora etiam spatia requirerent; alij vero nudis genibus nudā prementes humum; non nulli asperis induti cilicijs in precatione persisterent.

E Seminario præter eos, qui ad alias familias transierunt ad nostrã adiuncti sunt quinque. Itemq. alius qui Societatem habebat in votis reuocatus à suis, cum ex contracto in itinere morbo diuertisset ad nostros; apud eos etiã magna sua cum voluptate tum pietatis significatione decessit.

SEMINARIVM ANGLICANVM.

E Seminario Anglicano Sacerdotes septẽ pari pietate ac doctrina præditi in patriam remigrarunt Pro his septem duos & viginti misit Remense Collegium, præclaræ indolis adolescentes. In his quemdam, qui Martyres in Londinensi turri, in qua Campianus noster sociijq. fuisse dicuntur, custodire solitus est; quorum meritis ac suffragijs nemo dubitare potest, quin ex hæresum tenebris in quibus ante iacuerat, in lucẽ veritatis emerserit: cõstat enim in eos officiosum fuisse cum muneri illi præesset, & cum ducerẽtur ad mortem, præstans quoddam potionis genus, paratũ à Catholicis, detulisse; nec destitisse eos, cum cõmodum esset, re atque oratione solari: vt mirum videri non debeat, si is tandem lucem veritatis aspexit, in quem grati esse voluerunt, qui pro veritate ipsa sanguinem profuderunt. Qui vero ad suas sedes remearunt, ita se gerunt, facile vt appareat vel ipsis tacentibus, qua ex disciplina prodierint. Sacerdos quidam vt vitæ sanctimonia sanctitati muneris responderet, præter asiduas preces atque vigilias, tam asperũ viuendi genus instituit, vt ipsis hæreticis admirationi esset. Cutem sibi len-

bi lentis ignibus adurebat, & cum nocturnæ quieti se daret, cratem quandam excogitauit è funibus multiplici nodo contextam, qua lectum suum cubicularē sterneret, vt inter cubandum totum corpus inæqualis illa nodorum asperitas cruciaret.

In hunc ipsum annum Gulielmi Harti præclara mors incidit, huius Alumni collegij, & voto tanquam vnius e nostris. Is est vnus è duodeuiginti, qui vitam in Anglia pro Catholica religione profuderunt. qua de re quanquam superioribus annis liber est editus; nos tamen de Harto aliqua etiā præcipua, quæ nondū mandata sunt litteris, complectemur. Hic cum inter suos ciues magno cum animarum lucro annū iam integrum versaretur eiusq. fama tum propter eius concionādi vim, tum propter eximias virtutes in dies magis inter hæreticos percrebescere, non defuit desertor aliquis religionis & Catholicis inimicus, qui ei moliretur interitum. Eboracum venit, vbi tum commorabatur Hartus, postulatisq. a Præfecto vrbis ad conquirendum hominem satellitibus, noctu venit ad ædes fores effringit, ædes irrumpit, dormientem, quem quærebat, offendit. ad hos strepitus excitatus Hartus rogatusq. de nomine, nomen indicat. Hic confestim littorum turba in eum manus iniicit. Ille vero sacerdotij sanctitate fretus Presbyterum se dicit esse, proinde videant etiam atque etiam in quem impetum faciant, simulq. paulisper facessant rogat, dum vestibus induatur. Inde ad Præfectum vrbis, qui eum ad multam noctem expectabat, adducitur. Rationibus primum atq. argumentis res agitur, quæ cum Hartus perite scien-

terq. dissolueret, vicissimq. ea obijceret quæ refelli à Præfecto nullo modo possent. aduocantur auxilia ministrorum, qui simili inscitia cum argumentationum nodos expedire non possent, ad conuitia & maledicta confugiunt. Tum ad carcerem trahitur, vbi compedibus cathenisq. constrictus multisq. alijs acceptus incommodis, dies ipsos quattuordecim transigit. Sed Decani iussu eductus è carcere per plateas vicosq. traducitur cathenis oneratus, quæ frequenti attritu non sine ingenti dolore tibias excarnificarũt. Vt hominem Decanus aspexit compedibus exui iubet, blandaq. oratione ad suam sententiam conatur abducere. Hartus autem argumẽtorum pondere ita Decanum premere, vt suæ aduersarios iam tæderet inscitiæ. mutãtur subinde, qui dimicationis impetum sustinere queant alij alijs hebetiores. Ergo reducitur in custodiam reus, vt qui argumentationum laqueis irretiri non potuit, vinculis & compedibus constringatur. Cineralia cum aduenissent quo tempore ad comitia Iudices coeũt, producitur Hartus, ac de maiestate duobus nominibus postulatur. Primum quod in regnum nescio quas à Pontifice litteras intulisset: Deinde quod sacrificium Missæ fecisset, quod confessiones excepisset, quod multos Ecclesiæ Romanæ reconciliare studuisset, & ad defectionem animos sollicitasset. Rogatus à Iudice quid ad hæc respõderet, Quod ad litteras, inquit, attinet nullas alias ab vrbe curaui nisi quæ fidem facerent sacerdotij mei. Itaque caput hoc nihil mihi iure potest obesse. Quod ad maiestatem pertinet si seruire Deo idest crimen Maiestatis, non diffiteor me in eius sacramentis

admi-

administrandis procurandisq. diuinis, sacerdotis munere functum; sin autem in id crimen incidi quasi ab Reginæ imperio disiungere ciuium animos sim conatus, id mihi falso obijcitur, nec tale quicquam in Reginam vnquam meditatus sum. Hic disputationem Iudex orditur sed cum per doctrinam progredi disputãdo non posset, suam excusans inscitiam quod iuri non Theologiæ operam dedisset, iniquissimam pronuntiat de tribunali sententiam, Quoniam Hartus Maiestatis crimen incurrerit, videri eum ea pœna dignum, quæ tali crimini proposita sit; vt reus primum patrio more suspendatur ad alienationem vsq. sensuum, deinde spiranti adhuc, intestinis exectis in ignemq. proiectis caput a ceruicibus abscindatur, ac demum reliquus truncus dissecetur in partes; quarum vnaquæq. feruenti aqua elixa portis oppidi præfigatur. Hanc sententiam magnũ populi murmur excepit, & quia multi suspicabantur, Hartum clandestina morte multatũ iri, eum ad carcerem prosequuntur. Cum admoneretur de morte reus, æquo libentiq. animo se mori dixit postulans illud vnum, vt antequam suspenderetur, populum sibi fieret alloquendi potestas. Postero die, qui dies erat neci dictus ad supplicij locum raptatus, ante quam patibulum iuberetur ascendere, graui cauetur edicto ne quis propius ad carnificinam quadraginta pedes accedat. Scandit ille patibulum alacer ex eoq. gratissimam populo disputationem exorsus de miseria hominis, deq. eius creationis causa, interpellatus est à ministris frequenter, nec facta perorãdi potestas. Iussus ab hæreticis supremo illo vitæ tempore vna cum

ipsis orare. Nequiquam, inquit, nec enim ex eadem sumus ecclesia. Tum iniecto laqueo carnifex suspensum deturbat è gradibus: cumq. de more accurrerent qui præciso repente laqueo viscera spirantis extraherẽt; confestim illuc neglecto edicto populus vniuersus irrumpit, ac ne id facerent vehemẽter obsistit. Vix dici potest quantus fuerit populi amor aduersus Hartum quanta eius virtutis opinio, vt etiam certatim vniuersi contenderent, si quis quid posset reliquiarum loco ex eius vel vestibus vel carnibus auferre: quorum aliqui vel ob hanc ipsam causam dedere pœnas. Duæ fœminæ, quod apud eas frusta quædam ex Harti carnibus reperta essent, in eundem illum carcerem in quo Hartus fuerat, detrusæ sunt. Nec defuerunt qui numerata pecunia carnifici imbutas sanguine vestes emerent. Atque hic exitus Harti fuit. Tertium fuit huius Collegij decus Georgius Gilbertus, qui in Societatem antequam moreretur acceptus, iure à nobis videtur exigere, vt de ipso quoq. pauca dicamus. Is simul ac Collegium attigit, ea pietatis documenta dedit, vt non tam missus videretur à Deo vt rude pectus disciplina virtutis excoleret, quam vt suo ad virtutem exemplo ceteros prouocaret. Nam ex quo tempore adolescens in hæreticorum sinu educatus cuiusdã nostri Patris opera ad Catholicos sese adiunxit, nihil habuit antiquius, quam vt se incorruptæ atq. integræ religionis fautorem exhiberet: iccirco in eo totus erat vt sacerdotes & qui religionis causa coniecti essent in carcerem suis opibus subleuaret. Domus eius dies noctesq. Catholicis patebat hospitibus. Et cum in Angliam

gliam ex Romano Gallicoue Collegijs aliqui reuertissent, ijs splendida vestimenta, ne in suspicionem venirent hæreticis comparabat; si hæc vnde quæreret non haberet, detractis sibi ipse vestibus Catholicos induebat. Sæpe famulari veste ementitoq. amictu, quo tutius Catholicorum res gereret, vsus est: cum hospitum numerus augeretur, ne quid cuique deesset, suo se cubili fraudabat. Bona, fortunæq. eius erant veluti commune quoddam Catholicorum patrimonium: vix annuos exegerat reditus, cum eos in eorũ vsus ac necessitates erogauerat. Hæc aliaq. complura cum cognouissent hæretici tam multas illi struxerunt insidias, vt sæpe in speluncarum tenebras sese abdere, sæpe habitu mendicantis incedere, ne posset agnosci, sæpe solũ vertere cogeretur. Sed quoniam insequentium hæreticorum & animus & numerus in dies magis augebatur, cuiusdam nostri Patris hortatu suasuq. præsenti furori cedens ex Anglia Rhotomagum discessit, inde Remos ad Alanum, à quo deniq. missus in vrbem cõuictoris nomine in hoc collegium receptus est. Hic ea in obsequendo fuit alacritas, ea custodia legum ac disciplinæ vt non tum primum parere didicisse, sed diu vixisse ad aliorum videretur arbitrium. Statis diebus tam acriter se cædebat, vt sanguinẽ euocaret, id quod indicãt etiam nũc atra cruore flagella: sub nitido amictu vestes Cilicinas occultabat, & externo cultu fallebat aspectum, qui sese intus setis rigidis atterebat. Non numerauerim inedias vigilias, & alia huiusmodi pœnarum genera, quæ ad coercendum corpus a sanctis viris excogitata sunt. De studio tantum depreca-

tionis breuiter dixerim:Cuius mens diuinis intēta colloquijs quattuor quinqueue horas ne abijsse quidem sentiebat, sæpeq. ad multam noctem cum in suis lectulis cubarent alij, ipse coram augustißimo Christi corpore precibus excubabat. Duo à Deo vehemēter optabat vt aut in societate IESV diē suum obiret, aut si id non præstaret, certe in causa religionis. Consecutus est alterum; nam non ita multo ante quam migraret è vita, Societatis factus est particeps. Ex hoc precandi studio congressuq. diuino nascebatur tum incredibilis quædam cupiditas obeundi martyrij, tum amor singularis in eos qui pro Catholica religione occubuissent. iccirco Martyrum basilicas lustrare frequenter, eaque loca celebrare solitus est, in quibus tam pretiosi sanguinis sunt impressa uestigia, ob eamque causam suis ipse sumptibus, quotquot iam inde à prima Angliæ conuersione ad hanc vsque ætatem vitā pro religione dedissent, eorum imagines in Collegij templo pulcherrime depingendas exprimendasq. curauit. Sed hunc ardorem fundendi pro Christo sanguinis maxime vitæ exitus declarauit. Nam cum à Summo Pontifice ad eiusmodi munus legaretur, in quo maxima spes Martyrij ostendebatur, dum nimia sollicitudine ne laberetur occasio se parat ad iter, pridie quam discedendum ei esset peracuta febri corripitur, ex qua non ita multo post excessit è vita. Hunc igitur ille casum adeo grauiter tulit, vt cum eo die, qui mortem antecessit amicos flentes spectaret, fletu eos & lacrimis prohiberet; quod diceret nullam ijs lacrimarum esse caussam, quibus adhuc integrum es-

set

set vitam pro Christo ponere: sibi vero maximam, qui in tam praeclara bene moriendi occasione in suo lectulo moreretur. Nec continere se potuit quin moestis vocibus quereretur, & simulacrum Christi complexus, quo subinde conuertebat aspectum, illud Propheticum vsurparet, Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrimarum. quibus ille querelis, mirum est, quantos motus in eorum qui aderant animis concitarit. Moriens efferri voluit ad D. Andreae, & in Nouitiorum condi sepulchro, eiq. Domui aureos reliquit circiter octingentos. & si hanc pecuniam visum est postea P. Generali in Anglos inopes ad arbitrium Alani distribui. De Vrbanis Collegijs hactenus. nunc ad externa pergamus.

TYBVRTINVM ET SENENSE Collegium.

QVanquam Collegiũ hoc in summis iam diu rei familiaris versabatur angustijs: hoc anno tamẽ quae est admirabilis Dei in suos famulos prouidentia Summus Pont. vere parens vniuersae Societatis prioratum S. Sabae Tyburtinae dioecesis attribuit, vnde annuum vectigal capitur aureorum circiter quingentorum. In hanc ciuitatem cum alia constant nostrorũ officia, tum illa praecipua; quod cum multi ex infima turba summa inopia premerentur, Quidam è nostris certam pecuniae summam cogendam curauit, eaque in panes pauperum erogata est: quibus coelestis doctrinae cibus adiectus magnam horum hominum multitu-

dinem à præsenti non modo corporis; verum etiam animi periculo liberauit. Postquam omnium necessitati consultum est; multæ tamen & panis & pecuniarum reliquiæ superfuerunt. vt non ex alio fonte subsidia illa profecta viderētur, quam ex eo ipso, qui quondam multitudinem in solitudine paucis piscibus panibusque satiauit. Senense Collegium vberem hoc anno fructum cum ex aliis Societatis muneribus, tum maxime ex erudienda iuuentute collegit. declarant lectissimi quiq. è nobilitate discipuli, tum vero frequentia tanta, vt cum tam multos capere Gymnasii angustiæ non possent; viri nobiles duas nobis exhedras amplas & elegantes suo ære construxerint. Duo non paruæ spei & expectationis adolescentes, non vulgari quadam officii laude contenti ad perfectam in Societate virtutem animum adiecerunt. Sed cum in omne hominum genus suæ pietatis officia Societas nostra cōtulit; tum in eos qui capitali sententia damnati ducebantur ad mortem. In his vnus cum de quadam animi obstinatione nihil remitteret, ne hortatu quidem Sacerdotis nostri, qui ad eum postremus venerat vt vltimum desperatæ vitæ perfugium; Pater commutata medicamenti ratione, lenitatem illam suam qua primo hominem aggressus erat, in speciem quamdam summæ seueritatis conuertit. Obiurgare eum vehementer insistit, hortariq. qui aderant, vt eo neglecto discederēt. Quod si sua sponte animum præcipitaret in tartara, fore, vt eius post mortem corpus in sterquiliniū & feces abiiceretur. Hoc ille nouo orationis genere permotus illico manus dedit, & quanto antea fuerat obstina

tior tanto postea extitit in genere ipso conuersionis illustrior.

COLLEGIVM FLORENTINVM

IN Florentino templo auctus est numerus confitentium, in ijsq. non nulli nobiles ac primarij viri. Senis cuiusdam est excepta Confeßio, qui iam septuagenarius, nunquam ad Sacerdotis pedes acciderat, Nā de alijs multis quos viginti ipsos annos suis astrictos sceleribus malus dæmon tenebat, nihil attinet dicere. Flagitia è ciuitate multa sublata sunt. Quidam autē, cum ex ipsa coniuge cognouisset, quos sibi pepererat filios, ex adultero peperisse, ignarus quid consilij caperet, nostros consulit: nostri hominem vbi placarunt solatiq. sunt, auctores fuerunt, vt non solum coniugi condonaret iniuriam, alienamq. prolem duceret tamquā suam, cum hoc sine cuiusquam iniuria fieri videretur; sed etiam vt vxorem ipsam & ad dolorem adduceret admißi dedecoris, & ad reliquā vitam caste integreq. in cœnobio mulierum traducendam. Multæ feminæ, quarum pudicitia periclitabatur opera hortatuq. nostrorum ad cœnobiorum claustra perfugerunt. Sed præclaris actionibus pares sæpe difficultates aduersantur: Itaque dum Pater è nostris feminam, quam Eques quidam perdite deperibat ad meliorē frugem reuocat, Eques ipse prædam sibi dolens ereptam, Patrem statuit nocturno pugione confodere: vt cum domum suam noctu, tanquam ad ægri confeßionem excipiendam accersisset, tum demum cogitata perficeret.

Sed

Sed cum forte concionantem è Societate quendam au dісſet, repente commutatus animo, ad Collegium aduolat; rem totam patri ipsi cui necem meditabatur exponit, supplexq. veniam petit. Quod ad templum attinet recens ædificatum, illud admiratione non vacat. Officinam Faber habebat cum nostris ædibus continentem ea ad reliquam exædificationem maxime opus erat. Sed ille vendebat inuitus, ac ne inuitus quidem, nisi ad conditiones descenderes iniquissimas. Nummos poposcit aureos mille, aut agri iugera quæ tanti essent. ea non sine magna rei nostræ iactura à reliqua possessione distrahebantur. Augebat iniquitatem, quod in æstimatione soli suo stare volebat arbitrio, & qui suam nobis officinam maioris duplo vendebat, agrum ille nostrum triplo minoris emebat. Ac rem ille quidem pro voluntate transegit, sed non ita multo post grauissimo morbo corripitur, atque eo morbo, qui & corpus exederet vniuersum, & ne leuari medicina posset, artem fugeret medicorum. Causam suspicatus pertinaciæ culpam, in quo se ipse flectere debuit, in eo maxime animum obfirmauit. Ira incensus testamento cauit, ne nobis officina alijs conditionibus præter eas, quas ipse tulerat, venderetur. In hac tam pertinaci obstinataque mente cum mortem iam metueret impendentem, crebrisq. à Deo admonitionibus terreretur; tandem mutato consilio nostros aduocat, ijsq. ædes, quibus ante poposcerant conditionibus, nulla facta agri mentione concedit. Vix ad sanitatem redierat mentis cum sanitati restitutus est corporis. Qui autem ad vendendas ædes huius flexit ingenium; is ad suppeditandum gra-

tis argentum, vnde ædium domino solueretur, ceteros incitauit. itaque statim templum non sine diuino consilio nutuq. exedificari cœptum est.

COLLEGIVM PERVSINVM.

MVlta huius Ciuitatis in Societatem extant officia. Atque vt genus tantum attingā. Patres duo ante quam publicis se religionis votis obstringerent, dum pendentibus manticis stipem rogitant ostiatim, rati ciues, eos ad quærenda vitæ subsidia stimulante necessitate compulsos; tantum panis nummorūque temporis pene momento contulerunt, vt sæpe onerari, exonerariq. manticas oporteret. Qui vero suis domibus absfuerunt, re postea cognita, suam quoque stipem ad Collegium submiserunt. nec prius benignitati factus est modus, quam vt certiores de Societatis instituto facti sunt. Sed dum ciuibus de nostrorum corporum salute, nobis de illorū & animis & corporibus curæ fuit. Et vt leuiora mittamus, insigne Sacerdotis nostri facinus non præteribo, Cauponi cum mors esset illata, & in quæstionem famulus datus, admotis tormentis, annuit à se commissum esse facinus, sociosq. habuisse rusticos duos. postulati in quæstionem rustici, vi cruciatuum pari imbecillitate vincuntur. Sententia capitali damnatos mors sequebatur: sed vt iniectos innocentium iugulis laqueos falsus index aspexit, intimis religionum stimulis agitatus, erratum suum Patri detegit. cuius consilio vt religione animum solueret, coram ijs, qui præsentes aderant, rusticorum prodidit

inno-

innocentiam. Nec tamen Iudex sententiam, quàm tulerat, reuocabat. ducebantur nibilominus insontes ad mortem, nec procul aberant à suspendio, cum commonefactus à Patre iudex de re tota cœpit animo vehementer addubitare; reuocatisq. ex itinere reis, iubet iterum constitui de cæde quæstionem. Cognita quam diligentißime causa cum iure damnati viderentur, iterum truduntur ad mortem. Sed diuino consilio fusis repente imbribus, iterum dies necis extrahitur. interim proditur cædis auctor & rusticorum innocentia patefit. Ita tres homines simplices non sine peculiari diuinæ prouidentiæ beneficio, quæ numquam deserit sperantes in se, præsentißimo periculo liberantur. & si illi quidem æquißimo animo se mori dicebant, quia quamuis homicidij culpa vacarent; tamen quoniam multa peccassent in vita, quotidieq. apud Deum offenderent, merito plecterentur. Hoc nostrorū factum mirifice vniuersa ciuitas extulit: Quin ipse Quæsitor nostris hominibus gratias egit, quod per eos vitam innocentibus reddidisset, iußitq. consolationem aliquam adhiberi tormentis & carcere fatigatis; & vero ipso metu mortis exanimatis. Beneficium Dei Matris hoc fuit, vt homines iam collum in laqueum inserentes incolumes seruarentur. quare paucis post diebus è tormentorum laboribus recreati ad Lauretanam ædem, vt pro incolumitate sua vota persoluerent, suspensa de collo reste, nudis pedibus incesserunt. Atque his quidem vita corporis restituta, aliis etiam animi. Mulier erat infamis, quam etsi regius morbus vrgebat; tamē ciues ad se nobiles forma & lepore pellexerat: ita

vna

vna muliercula pestis erat otiosæ ac lubricæ iuuentutis, tum propter iacturam rei familiaris, tum propter morbi contagionem, quæ non modo ad honestas adulterorum coniuges, sed etiam ad teneros liberos permanabat. quin etiam inter ipsos quoque riuales eæ sunt exortæ discordiæ, vt quotidie spectare viderentur ad cædem. Dei miseratione factum est vt nostris adiutoribus & sacerdote quodam externo non sine omnium admiratione è turpitudine sua mulier emergeret, & vna extincta face plura restinguerentur incēdia. Hæc in hoc Collegio præcipua. Octo autem ad Societatem adiuncti sunt.

LAVRETANVM ET reliqua Collegia.

EST hoc Sanctissimæ Dei Matris beneficio Lauretanæ ædi præcipuum, vt qui huc religionis causa confluxerint, quorum ex omni terrarum ora infinitus est numerus, eorū fere nemo ante discedat, quam magno quodam animi sensu confessione maculas abluat. Sic ingens meritorum campus nostris Sacerdotibus aperitur, dum in excipiendis confessionibus matutina tempora cum vespertinis, diurna cum nocturnis sæpe coniungunt. Quadringenti circiter auditi sunt, qui iam inde à primis annis peccata repeterent. Nam qui animum triginta & quadraginta annorum sordibus obsoletum confessione lustrarint, eorum nullus certus est numerus. Vir nobilis, domi suæ princeps, qui alieno animo erat à nobis cum Dei Matrem salutatum venisset, multisq. nostrorum exceptus esset officijs, ita Societati conciliatus est vniuersæ, vt cum do-

inum redisset, ab eius loci Prouinciali duos postularit è nostris, quos cum impetrasset, in omnem suæ ditionis oram concionandi docendiue causa dimisit.

E Maceratensi Collegio Pisaurū missi sunt duo Vrbini ducis rogatu, qui ita se Duci ipsi nobilitatiq. probarūt, vt in digressu magnū apud eos Societatis desideriū reliquerint. Traditæ sunt meditationes nostræ Religioso cuidā viro sui Moderatori cœnobij, qui postea in sermone significans, quanta in ijs meditationibus vis inesset, Quam mihi, inquit, mei dissimilis videor, ex quo vestris meditationibus vti cœpi? In Recinetensi Collegio Episcopi rogatu schola instituta est eorū qui conscientiæ casibus operam dant.

MISSIO CONSTANtinopolitana.

PEræ quæ cum Constantinopoli pene continens est (solo enim maritimo portu seiungitur) septemdecim fere Christianorum familiæ versantur, præter magnum numerum captiuorum. Hi cum de nostrorum cognouissent industria fructuq.; ne inter Christi hostes animorum salus periclitaretur, datis ad summum Pont. litteris, aliquos postularūt è nostris. Ad eorum domicilium coenobium quoddam a coenobitis iam ante desertum vna cum templo B. Benedicto sacrum, certamq. pecuniæ summam in annuos reditus obtulerūt, summumq. Pont. obsecrarunt, vt nisi id esset satis, reliqua ipse suppleret. Hæ litteræ quo plus haberent ponderis Galliæ legatus ad eum, qui eiusdem Legatus est Regis ad Pontificem Max. Romam scripsit, causamque nostram seu potius illorum Christianorum stu-

dio-

diosissime commendauit. Pontifex pro paterna cura ac vigilantia non modo rem vehementer approbauit, verum etiam nostris abeuntibus ad eum, quem dixi legatum litteras dedit; quarum ille vi atque auctoritate id quod nominaui coenobium ad nos transtulit. Quinque eo sunt missi de nostris, qui Peram cum attigissent, & si morbo implicitum Galliæ legatum offenderant, à Venetorum tamen legato perhumaniter sunt excepti. Hic omnium maxime auctor fuisse dicitur nostrorũ aduentus, induxisseque tum Christianos illos ad eas quas dixi litteras conscribendas, tum Galliæ legatum vt huic ipsi rei adiutorem se fautoremq. præberet. Sed alterius legati beneficentia cum alterius humanitate certauit. Venetus instrumentum fere omne domesticum apparauit, commeatum perpetuo misit, ægris medico medicamentisq. subuenit. Templũ multa variaq. veste ditauit. Galliæ legatus cũ multa huiusmodi largitus est munera, tũ ornatus quosdã Sacerdotis è vestis genere pretioso, quã à Rege Turcarũ muneris loco cũ in Galliam reuerteretur, accepit.

Per æstatem sæua pestilentia laboratum est, & quanquam illa quidem late serpebat, & ædes prope nostras inuaserat: tamen singulari diuinæ prouidentiæ munere, liberi ab ea nostri fuerunt. Sed non semel diuina bonitas suos famulos à periculis vindicauit. Iam Nostris parabantur insidiæ tanquam exploratoribus Romani Põtificis, cũ eos venetorũ legatus admonuit, vt diuinis se se præsidijs armarent, cuius consilium nostri non negligendum rati ardenti studio se contulerunt ad preces. Dedit Deus felicem exitũ rei.

nam

nam idem postea legatus cum ad nos venisset gratiæ sunt, inquit, vobis agendæ Deo, qui certum à vestris capitibus exitiū repulit. Ille ipse qui Regi primus est à consilijs, quiq; vniuersas res administrat sua voce defendit, testatusq. est vestram innocentiam sibi esse perspectam. Nostros autem Turca ille tum nouerat, cum ad eum à Galliæ legato deducti eius patrocinio commendati sunt, quod fidem legatus faceret, nostros esse homines religiosos simplicesq. quorum munus esset aliorum commodis salutiq. seruire, eosque iuuentutem nulla mercede bonis artibus bonisque moribus instituere. quam rem ille admiratus, Viros bonos necesse est, inquit, esse qui aurum nummosque repudient. Atque ita eorum se patronum fore recepit.

Præcipuus fructus è captiuis seruisq. colligitur, quorum vt dixi magna est multitudo. Sed Italorum pars maxima: ij duceni triceniq. varijs in ergastulis retinentur. Quibus vt opis aliquid afferatur quoniam ad opus prima luce discedunt, pernoctandum cum ipsis est. In ijs multos reperias, qui diu sacramentorum munere careant. Non nulli tamen quibus est aliquid æris custodem suum eo sibi conciliant vt exire liceât aliquantisper ad templum, vbi & sacramentis animos expiát & de more sacris intersunt. Perę Christianorum templa libera sunt, Campanas tamen Turcæ non ferunt. ceterum diuina peraguntur officia æque libere vt in Italia. E Christianis multi, præsertim mulieres cum Italice nesciant aliquem requirunt è nostris, qui Grçce norit. ita magna speratur vtilitas. Hæc de Romana Prouincia. nunc de ea, quæ proxima est Neapolitana dicamus.

PRO-

PROVINCIA NEAPOLITANA.



Ontinet Neapolitana Prouincia locis septē socios ducētos ac triginta quattuor. In Domo Professa Neapolitana duodequinquaginta. In Collegio quinque & octoginta. In Nolano duos & quadraginta. In Catacensi nouemdecim. In Aletino vnum & viginti. In Cirinolano quinque. In Bariensi quattuordecim. Societate recepti sunt fere quindecim. quattuor autem in domino quieuerūt.

DOMVS PROFESSA ET Collegium Neapolitanum,

D*omus hæc quamquam non habet illa quidē multa præcipua, quæ memoriæ mandari poßint; tamen vt in ea vrbe est, quæ ciuium multitudine nullis Vrbibus est inferior; ita ipsa siue vbertate frugum siue bene merendi facultate ceteris domibus nihil cedit. Expiantium peccata tantus fuit hoc anno concursus, vt qui vniuersæ vitæ maculas confeßione eluerint, cētum amplius numerati sint. Institutum est præterea principum ciuium sodalitium, quorum munus est frequenter tum valetudinaria publica interuisere tum salutaria Ecclesiæ sacramenta percipere; quotidieq. sub vesperam tradita sibi à nostris meditationis cuiusdam capita, cui postridie vacent, accurate suscipiunt:*

piunt: vt plane ſperandum ſit, ſi his principijs reliqua conſentiāt fore vt inſtituti operis fructus conſtet. Miſſus eſt in vicinum oppidum Sacerdos vnus, à quo cum alia in hominum ſalutem geſta ſunt, tum centum amplius controuerſiæ ſedatæ. In his Filius qui parentem contumelioſe pulſarat, nudato capite, ſine pallio, reuinctis à tergo manibus, obligatisq. fune ceruicibus, tanta vi lacrimarum tāta doloris ſignificatione ad parentis genua proſtratus veniam ſceleris poſtulauit, vt in eumdem prope fletum Epiſcopum, & eos qui circūſtabant adduxerit.

Huius collegij ſocij tum ceteris Societatis inſtructi præſidijs, tum ſpiritalibus exercitijs mirum eſt quanto fuerint proximis adiumento. Nobiles aliquot graſſatores, quorum aliqui quindecim ipſos annos ferarū more per occultas ſyluarum latebras vagabantur, & ſubinde prodeuntes è latebris, vt inimicorum ſanguinem haurirent, familijs vniuerſis exitium afferebant; tandem fide publica accepta in noſtrum Collegium ſe receperunt: ibi noſtris meditationibus exercitati recogitarunt Deo omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, vt quæ flagitia voluntaria confeſſione patefeciſſent, ea benignus Deus obliuione ſempiterna obrueret. A prima luce ad tenebras partim in aliqua diuinarum rerum meditatione partim pijs cum fratribus, patribuſq. colloquijs perſeuerabant, ſpectaculū Deo, & angelis ſane gratum, quod tum diuitias bonitatis Dei, tum Societatis noſtræ curam in proximorū quærenda ſalute perfecte repreſentabat: in ijs enim vnus propter effrenatam audaciam, & immania facinorum mo-

monstra toto hoc regno celeberrimus cẽtum amplius cædes suis ipse manibus perpetrarat. Sunt & mancipia seruique ad Fidem eruditi nonnunquam. in his Turca, qui ob eam causam aiebat se à Mahometica superstitione ad Christiana sacra conuersum; quod cũ sibi grauiter ægrotanti Christianus homo, cui vix de facie notus erat, quæ necessaria essent ad victum suppeditasset; venit in mentem Christianorum legem, quæ in quemlibet officia charitatis imperat, ceteris legibus oportere præstare. E sodalitate Deiparæ, Virginis, quæ è natu grandioribus constat, non minores interdum fructus tulimus, quam ex ipsa nostra Societate. A multis carcer inuisitur, nec solum vinctis corporibus, sed etiam animis subuenitur. Tam multi ad exsoluenda peccatorum vincla pijs sodalium collocutionibus excitati sunt, vt cum per sacerdotum penuriam tot audiri non possent, Archiepiscopi iussu singulæ religiosorum familiæ Sacerdotum auxilia supplerint. Ne illud quidem ad declarandos huius sodalitij progressus prætereundum est. Vnus e sodalibus Sacerdos cum accepisset, fratrem ab inimicis occisum esse, nullo perturbati animi motu prodito, postridie sacrificauit; nec modo fraternam cædem sibi ipse non vlciscendam, sed parentes etiam ab ea cogitatione reuocandos existimauit: à quibus cum per litteras veniam inimicis impetrare non posset, eo consilio discessit in patriam, vt eorum animos sua præsentia delinitos ab vlciscendi studio retraheret. Vnus & viginti varia sunt Religiosorum instituta complexi; quorum præclarus euentus facit, vt huius sodalitatis fructibus faci-

les ad Religionem quamlibet aditus pateant. In Minore sodalitio pari cursu contenditur ad virtutem. ac præter alios, qui in alios Religiosorum ordines transierunt, in nostrum ingreßi sunt octo. In his adolescẽs illustri loco natus, præclaris naturæ donis instructus: cui quidem magno stetit societas. nam cum eius de societate consilium resciſſet Pater, furore percitus & pugnis eum verberibusque contundens; Moriere flagris, inquit, priusquam abeas. At ille. Non mihi erit India aut Anglia martyrii causa peragranda, si paternis manibus interficiar. cum animaduerteret parens nihil se asperitate proficere, ad lacrimas, blanditiasq. deflexit. ne hæ quidem firmum animum abducere ab instituto poſſunt. reditur ad acerbitatem, reditur ad minas. domestica eum custodia Pater includit, vt tanquam noxium aliquem, vinctum proprium in oppidum, quod tridui abest, amandet. Sentit hoc perspicax adolescens, & fugam attente meditans non sine vitæ discrimine edito de loco confestim desilit; inde ad Collegium nullo pallio, nullo in publicum prodeuntis ornatu insequentibus à tergo famulis transuolat: Ita primis prælijs victoria domestica terminatis, alia grauiora coepit inire certamina, vt, quod est omnium difficillimum victoriæ genus, gloriosum etiam agat de se ipse triumphum. Nec minus strenue fortiterq. se geßit alius adolescens ex hac eadem virtutis schola profectus, qui postquam Patri se in societatem nostram receptum eſſe significauit, nolletq. patrijs bonis, quæ sibi hæreditario iure veniebant, inconsultis patribus cedere, verberibus male acceptus ad Collegium

gium brachio semifracto confugit. tum accersito tabellione, Prouincialis permissu atque etiam iussu nuntiũ paternis bonis patriq. ipsi remisit: tanto melior hæres futurus si in sententia permanserit, quanto sunt filij Dei filijs hominum meliores. Ad hæc duo sodalitia accedit tertia quædam sodalitas ex opificibus ferme quingentis, qui ad explanationem Christianæ doctrinæ festo quoq. die conueniunt: tanta sunt autem auiditate discendi, vt extra vrbem euocati complures ad suum quisque opificium; tamen ne qua fiat salutis iactura spem maioris quæstus abijciant. Ex hoc opificũ cætu quindecim coenobitæ facti sunt; suoq. exemplo ceteris nõ mediocriter prosunt. Adolescens dum inimico cædem molitur, cum huc se forte contulisset, mutata repente sententia pietati se dedit, ac prostremo perfectioris studio virtutis in coenobium se se inclusit, vt cum animam suam odisse didicerit, proximorum odia inimicitiasq. dediscat.

COLLEGIVM NOLANVM, & Cyrinolanum.

EX *ijs qui ad Societatem nostram diuino afflati Spiritu vocati sunt, admirabilis fuit nobilis cuiusdam adolescentis vocatio. Qui quamquam voto se nostræ Religionis obstrinxerat; prauis tamen familiaritatibus (vt est illa ætas improuida ac maxime lubrica) de virtutis curriculo declinauit. Sed quæ Dei est in eos quos ad veram vitam destinat, prouidentia, remanebant adhuc in adolescente quasi quidam pieta-*

tis igniculi, & malefactorum conscientiæ animum stimulabant, vt toto ferme biennio numquam liceret quieta mente persistere. quare in animum induxit Rectorem adire, ab eoque vehementer contendere, vt Societate reciperetur. qua tandem impetrata omnis tumultus animi conquieuit. E Societatis Meditationibus idem perceptus est fructus, qui vbique solet. Prouectus ætate Parochus earum beneficio eam sui ipsius cognitionem adeptus est, vt manantibus lacrimis affirmarit se ad eum diem, totum & Sacerdotis, & Christiani hominis munus ignorasse. Obijt in Cyronolano Collegio Hieronymus Sorianus eximia probitate Sacerdos. Hunc ad Societatem nostram exemplum Ioannis Maldonati, quem hoc eodem anno Romæ obijsse diximus, excitauit. nam cum in Hispanijs & vitæ consuetudine, & studiorum similitudine iam inde ab adolescentia coniunctißimi interse fuissent; conuenerat inter eos, vt qui prior perfectioris vitæ genus amplexaretur, is alterum ad sui imitationẽ traheret Romæ igitur multo post in Societatem Maldonatus admissus veteris pactionis memor, à Soriano, quem in Hispanijs reliquerat, per litteras promissa repetit. Is de statu hominis amicißimi certior factus, nihil habuit antiquius, quam vt idem iter, eamdemq. vitam ingrederetur: vt diuino propemodum consilio factum putes vt quem sequi non dubitauit in vita, eumdem quoque sequeretur in morte. paucis enim mensibus post Maldonati obitum, quasi amici monitis iterum ad meliorẽ vitam vocatus, tanta occubuit animi alacritate; vt videretur cuius exemplo in terris vulgarem vitam cum

religiosa mutarat, eiusdē in cælo precibus religiosam cum cælesti mutasse.

COLLEGIVM CATACENSE

Ciuitatis Episcopus cum alijs rebus suam in nos beneuolentiam testificatur, tum quod sæpe nostros ad res gerendas adhibet. eius rogatu Clerus vniuersus conscientiæ casibus eruditur, quo tempore & ipse & Vicarius semper intersunt; idemq. mandauit, vt in Episcopatus sedibus, quæ à nostro tradita sunt, à Clericis recolantur. Nec vero amicior nobis Episcopus, quam cuncta Ciuitas, quæ cum tutum aliquem locū requireret, vbi plena diplomatibus capsa litterisque publicis asseruari posset, eam nostris tectis potissimum credidit. Cumq. in nostra fullonica omnis fere lintea vestis incendio conflagrasset, familiares certatim damnum hoc resarciendum curarunt; paucisq. diebus tantum eius generis vestium suppeditatum est, quantum ad vsus domesticos satis esset. Sacerdos dum iter facit, multas in vrbe quadam Episcopi rogatu confessiones excepit. Erant enim Iubilæi dies. Venit ad confessionem mulier graui obstricta scelere, sed pudoris magnitudine victa, cum cetera patefaceret, hoc consulto præterijt. Pater ex eius verbis occasione sumpta sæpe eam de eo scelere interrogauit, sed ex eius confessione nihil expressit. imo tanta asseueratione mulier impudens affirmabat à crimine se abesse vt cogeretur Pater conceptis de more verbis, eam, quæ se arctiore vinculo obligabat, absoluere. Nondum è tem-

plo digressa ad patrem regreditur ore tristi ac perturbato. narrat vt è templo pedem efferre nequeat, & vt senserit nodo quodam adstringi fauces, quod commissum à se facinus pernegasset: proinde se & nouissimi mendacij culpam, & id ipsum facinus confiteri. ita & corpus ab angustijs, & animum à scelere vindicauit. Adolescens cum magnā vim pecuniæ lusionibus amisisset, rebus omnibus desperatis, diabolo sese dedidit. affuit diabolus, iussitq. adolescentem ter certo quodā in prædio deditionem illam miseram renouare. facit semel imperata, dæmonemq. familiariter alloquitur: In reditu ecce tibi noua de cælo benignitas: repente tā quam è somno excitus agnoscit erratū. doluit, & apud nostros, plena lacrimis confessione tantam maculam eluit. Rogatus postea qui nam è dæmonis potestate incolumis euasisset, id causæ fuisse respondit, quod antequam scelus illud admitteret, corpus domini suscepisset: ideoq. sibi à dæmone imperatum, vt ter se conferret in prædium, ter sibi se dederet. Nimirum non est passus Deus Christi templum fieri dæmonis domiciliū.

COLLEGIVM ALETINVM.

ALetinæ Ciuitatis in nostros homines obseruantia cum ipsorum in Ciuitatem officijs certasse quodammodo visa est. ciues enim æstiuis temporibus, crebris, iisq. periculosis morbis afflictati tam auide nostrorum operam expetebant, vt si illi non animis tantum sed etiam corporibus mederentur. nostri vicissim tum in ægris audiendis, tum in ijs, quos mor-

bus extingueret confirmãdis nullum laboris genus refugerunt. quod vt commodius ab ijs fieret, illustri quadam Dei prouidentia incolumes seruati sunt omnes. Egenorum præterea necessitati subuentum; præsertim ijs, qui retinentur in vinculis, qui cum aquæ penuria laborarent, corrogata stipe, exstructa est seruandis imbribus satis ampla cisterna. Impetratũ est etiam à Prorege, vt per multi, quos exiguum æs alienum morabatur in carcere, emitterentur; emissique sunt ad quinquaginta. Par in aduenas charitas; cũ enim Aletium duodecim circiter adolescentes Chaldæi è suis profecti sedibus appulissent, eorum inopiæ, atque egestati (erant enim rebus omnibus spoliati) per pios homines Societas nostra subuenit. Hi Pontificis Max. iussu Romam eo consilio proficiscebantur, vt in Maronitarum vel Græcorum Collegium cooptarẽtur: cumque per id tempus duo de nostris Hierosolymam contendissent, ijs cogendis & à parentibus abducendis suam quoque nauarunt operam. Cum igitur dies aliquot nauigassent, essetq. in animo Venetias appellere; vbi necessaria itineris subsidia ex mandato Pontificis accepissent; aduersa tẽpestate iactati deferuntur Aletium. hic tum nostrorum industria vti dixi, tum ciuium liberalitate recreati sunt. paucis post diebus vrbem cum Chaldæis Rector obambulans, multam eis pecuniã pro viatico corrogauit. Sublatæ præterea simultates & odia sunt. Quidã cum ad cædẽ inimici perditum hominem conduxisset, nostro tamen Sacerdoti confessus, ad eum confestim, quocũ de nece pactus erat contendit; nec modo retraxit a cæde, sed pecuniam,

quam

quam ei dederat, vltro remisit, modo animum expiaret, quod ille fecit non sine magno animi sensu motuque. E duobus sodalitijs superiore anno institutis maior captus est fructus, quam ex huiusmodi cœtibus postulandum sit. Ab ipsis sodalibus impurissimæ interdum feminæ conquisita ex eleemosynis dote ad honestatem traductæ sunt. Ter singulis hebdomadis Valetudinario ministrant, bis vicatim stipe coacta publicis custodijs subsidio sunt. Ad hæc duo sodalitia tertium clericorum accessit, in quo quinque & viginti præsbyteri numerantur, quibus æque aliena, ac sua cuique salus cara est. Horum fama Hydrūtinus permotus Episcopus vehementer contendit, vt in eorum numero sibi esse liceret. Det Deus incrementa qui tam præclara dedit exordia.

BARIENSE COLLEGIVM.

BAriense Collegium nunc primum magna ciuium gratulatione constitutum est. Ciuitas est plane nostra: Et præter annuos redditus, quos decreuit, multum etiam argenti in vnam Collegij ædificationem contulit. à priuatis vero tum mille aureorum octingentorum summa coacta est, tum domesticum instrumentū suppeditatum. templum denique nostris muneribus satis aptum à Canonicorum Collegio donatum. Habitæ sunt primæ conciones Aduentus tempore, magno cum fructu concursuque omnium ordinum. frequens autē Sacramentorum consuetudo in his partibus pene omnibus inaudita, in vniuersam fere ciuitatem inducta

est.

est. itaque ea est in æde nostra virorum mulierumque celebritas, vt operarij potius quam meßis desideretur. Altamura Vrbs est finitima Bario, fuerunt in ea nostri pacis concordiæq. auctores: Nã cum viri Principes tum inter se ipsi, tum cum Archipresbytero simultates grauißimas exercerent, misit ad eos Bariensis Archiepiscopus, ciuitate ipsamet deprecante, Collegij nostri Rectorem, qui tempestatem illam mutuis populi odijs excitatam, quatriduo, sed non sine magno labore, sedauit: in eaque ciuitate tam eximia reliquit suæ virtutis documenta, vt statim de extruendo Societatis Collegio cogitarit, in eamque rem, & templum vltro deferat iam extructum, & aureorum redditus nongentorum. De Neapolitana satis. cõsequens est vt de Siciliensi dicamus.



PRO-

PROVINCIA SICILIENSIS.



Onstat Siciliæ Prouincia domicilijs vndecim, Socijs amplius trecentis. Accesit hoc anno Professorum domus Panhormi, vbi tres & quadraginta versantur. In Collegio vero Panhormitano nouem & triginta. In Messanensi quinque & septuaginta. In Domo probationis eadem in vrbe vndetriginta. In Siracusano quindecim. In Catanensi viginti. In Collegio Montis Regalis tredecim; totidem in Rhegino. In Biuonẽsi duodeuiginti. In Calactensi vnus & viginti. In Drepanitano sexdecim. Adiuncti sunt ad societatem sexdecim, obiere quinque.

DOMVS PROFESSA ET Collegium Panhormitanum.

C*Vm ad perfectam absolutamque Prouinciam diu iam in Sicilia Professorum domus desiderari videretur, hoc anno primum Dei Optimi Maximi benificio magna tum nostrorum, tum externorum gratulatione Panhormi sumpsit exordium. & quamquã ad eam rem ædes amplissimæ superiore anno coemptæ sunt, id quod annuæ litteræ prodiderunt; tamen hoc anno placuit eas cum collegij sedibus commutare, vt quod discipulorum Gymnasium fuerat, domicilium esset Professorum. Itaqne Kal. Maij venit in tẽ-*

plum

plum nostrum Prorex,curiaque vniuersa cum ceteris magistratibus. Regnique proceribus ad eum diem celebrandum,qui & nobis professorum domum inchoantibus festus,& Beatis Iacobo,& Philippo Apostolis sacer esset.Pro concione, exposita est instituti nostri ratio,quæ res magna omnium approbatione excepta est. Sed quantis studijs huius Domus institutionē ciuitas vniuersa Complexa sit, illud aperte declarat, quod cum ea conditione suis sedibus Collegium cederet,vt facta rerum omnium æstimatione, pretij summam domus professa persolueret; quattuor vix mensibus aureorum millia vndeuiginti, quanti steterant ædes illæ,tum Proregis, tum ciuitatis,tum Dynastarum, priuatorumque ciuium liberalitate persoluta sunt. Postero die Collegium in alterum domicilium, quod Professorum causa emptum esse significauimus loco sane nobili ac celebri se transtulit: cumq. simul suppellex domestica transferretur,permoti ciues certatim aliam nobis locupletiorem supellectilem compararunt. vna Ducis Montalti coniunx de nobis iam pridem optimè merita cubiculares lectos rebus omnibus instructos ad viginti summisit. Aedes etiam quædam nouo Collegij domicilio coniunctæ,quia ad laxandam habitationem pertinere videbantur mille circiter aureis nummis emptæ sunt.Concessaque a senatu Aqua iugis domesticis vsibus opportuna.

Pænitentium numerus tantus est,vt cum satis multi sint Sacerdotes, vix tamen omnibus satisfiat: celeberrimis quibusque diebus tria millia circiter audiuntur,totidemque Eucharistia distribuitur. ad ægros autem

tem confeßionis causa quotidie mittitur: à quibus tam sæpe nostri homines euocantur, vt constet aliquando duodecim eodem die ad eos audiendos fuisse dimissos, & vt alijs ægris satisfieret expectandum fuisse nouissimum quemque dum reuerteretur. Societatis meditationibus instituti sunt multi. Quarum beneficio in duobus Virginũ coenobijs admirabilis morum, uitæq. mutatio cõsecuta est. Quinquaginta amplius Virgines ab vniuersæ vitæ noxis per confessionẽ absolutæ sunt. In his quædã clarißimo loco nata, eo cõsilio coenobiũ ingressa, vt de statu vitę deligẽdo decerneret, vix Societatis meditationes, quæ prima hebdomada tradi solẽt degustauerat, cum sic exarsit in amorem cælestis sponsi, sic in huius seculi odium, vt suos ipsa crines superioris vitæ decora atque ornamenta fœde abraserit, eosque in argenteo vasculo collocatos, tanquam sui propositi testes ad parentes miserit: atrox facinus visum parentibus, dignum miseratione, dignum lacrimis. Itaque ad cœnobium subinde profecti, Filiam a suscepto consilio deterrere conantur. at illa diuinis instructa præsidijs, vt quæ ab illis Meditationibus recens venerat, quicquid contra obijciebatur, acriter repulit ita illi re infecta cesserunt; ea vero perstitit in sententia, & inter nouellas Dei famulas magna cum laude versatur. Concionum eadem frequentia quæ solet. Sodalitium B. Virginis centum iam quinquaginta sodales numerat, ex eoque multi religiosi cœnobitæ prodierunt. vnus in nostrum ordinem, septem in alios recepti sunt. ex altero autẽ sodalitio, quo minores natu conueniũt, etiam tres, alij alijs sunt adscripti familijs.

MES-

MESSANENSE COLLEGIVM.

IN Messanensi Collegio latum est præcipuum e concione præsidium periclitanti multorum saluti. Quidam cum ad duorum cædem inimicorum perditos homines cōduxisset, nostro concionatore audito, ita permotus est, vt statim inimicos ipsos conuenerit, cum üsq. de pace suppliciter egerit.

E sodalitio anno Superiore instituto fructus operis constitit. sunt in eo ad quadraginta præcipua nobilitate sodales, quorum pietatis studium, magnum scilicet calcar fuit ceteris ciuibus. Bacchanalibus cum plurima est vulgi licentia, ipsi sæpe ad horarum quadraginta supplicationem conuenerunt. vnus è sodalibus cum in negociatione quadam quæstum facere posset aureorum quattuor millium, religioque iniecta esset a nostris, quæstum illum minus honestum videri: is etsi ea de re alij aliter sentiebant, maluit tamen nostrorū stare iudicio, quàm aliorum. Alius sæpe à matrona nobili solicitatus ad facinus, non modo induci nullo modo potuit, sed eam ipse potius vt peccata confiteretur induxit. Profectus est sacerdos vnus in oppidum ab hac vrbe quattuor & viginti mille paßibus distans, vbi dū confitentium turbæ dat operam, quēdam in his audÿt, qui annos duodeuiginti graue facinus reticuerat. impulit hominem ad nudandum vulnus concionatoris oratio. obstabat tamen salutari consilio antiqui serpentis astutia; sæpe conantem adire medicum, sæpe ille prehenso brachio retraxit: cumq. munere aliquo sibi aperire ad patrem aditus decreuisset, vas vbi munus

defe-

deferebatur effractum est noua dæmonis fraude, nouo consilio: quod tamen ille sentiens, adhibita sibi ipse vi, domum, in qua pater morabatur irrumpit, ad eius pedes magna cum lacrimarum profusione, tum doloris significatione prostratus, vniuersæ vitæ scelera confitetur. Missus est alter in Calabriæ oppidum: vbi omnium fere oppidanorum confessiones excepit: & cum alios corruptos mores, publico priuatoq. sermone correxit, tum prauissimam quandam furandi consuetudinem sustulit. Est in his regionibus ingens bombycum copia, vnde sericum depecti solet: Horum pastus sunt mori folia, quæ cum primum emicant, emicant autem oriente Martio, rara admodum sunt. Raritas facit vt alendis suis quisque bombycibus, primis ab ortu diebus alienas Mori frondes occultè præripiat. Cui incōmodo vt occurreret Pater, Eucharistiam populo præbiturus, imprecatus est eis pœnas, qui non ab eo furto temperassent. Non defuit contumax muliercula, quæ patris iussa contemnens, bombyces furtiuis frondibus pasceret. Sed eo ipso die industrijs vermibus interemptis, vim illarum comminationum experta est; agnouit erratum, frondes abiecit, alienis didicit abstinere. Sed vt hæc suæ contumaciæ pœnas dedit; ita qui dicto audientes fuerunt, ijs ex animi sententia res cessit. Constat enim magnam sericorum abundantiam eo anno præter consuetudinem, præterq. spem omniũ, qui eius rei penuriam potius & caritatem, quam copiam & vilitatem animo præceperãt, consecutã. Nec minus vitiosa consuetudo simili in re extincta est. multi anticipata pecunia frondium pabula vilius emebant, & eodem

dem sæpe die dimidio carius vendebant, idq. quoniam passim factitabatur, qui sibi religioni duceret, erat nemo. Obiecta est illis à Patre religio, & quàm non esset honesta ea pecuniæ conficiendæ ratio, & quatenus honesta esset, ostensum. Hic ipse Pater etiam tum, cũ domo aberat, ad alterum vocatus oppidum, nonnullas in eo conciones habuit, quibus correcta & emendata sunt multa. Teneræ puellæ vix octauum, nonumq. annum egressæ ob lautam dotem in matrimonium collocabantur, fiebantq. sponsalia præsente Parocho & testibus; sed quoniam per ætatem tenellæ coniuges ad domesticam curam minus erant idoneæ, alteram quisque ducebat, quam huic procurationi præficeret: huius generis nuptiæ erant amplius viginti, quas vt irritas esse persuaderet Pater, multo labore impetrauit. Quo res ex sententia magis succederet, Archiepiscopum Rheginum, cuius obedientiæ diœcesis illa subiecta est, de re tota commonefecit, eiusq. auctoritate nutuque perfectũ est; vt quæ commoda ac legitima essent ætate, eæ iterum matrimonij fœdere iungerentur; quibus vero ætas matura non esset, eæ disiungerentur à viris; cautumq. seuerissime ne quid tale in posterum fieret. Idem Pater cum ad B. Bruni corpus, cuius templum Catazorio diei iter abest, peregrinationẽ suscepisset audissetq. Sacerdotem quemdam inimicitias cum altero gerere, à quo esset sclopo percussus, ob eãque causam, quoad iniuriã persequeretur, sacrificio Missæ abstinere; nihil prius sibi faciendum putauit, quã vt Sacerdotem hunc conueniret, eumq. ad condonandam hortaretur iniuriam; sed cum priuatis col-

loquijs nihil proficeret, rogatus interim ab Oppidi Gubernatore vt ad Populum verba faceret, ipsa concione vsque eo Sacerdotis animum perpulit, vt iniuriam Christo concedere non dubitaret.

Habet & suos beneficos Messanense Collegium. Negotiator vita cedens, duo aureorum millia hæreditatis nomine reliquit. hic in nostrum numerum adscribi voluit, sed dum quædam ante negocia conficit, quo expeditior ad Dei seruitutem accedat, mortifero morbo consumptus est. Totidem millia nummum, & trecentos in ædificationem templi varia Ciuium benignitas erogauit, quo circa his exstructa subsidijs magna pars templi vsui iam esse cœpit.

SYRACVSANVM.

INcommoda huius Collegij habitatio fecit, vt sociorum numerus, qui toto ferme anno fuerat ad viginti, labente anno diminueretur. Valetudo minus prospera fuit: laborarunt per multi grauiter, & quidam ad mortem. Desiderati sunt tantum duo, quorum alter erat Sacerdos Georgius Mercatus, qui quoniam magnum sibi nomen è concionibus comparauerat, cum è vita ipso die Paschatis excessisset, ad eius cohonestandas exequias, ciuitatis Gubernator, vna cum Senatu, ac præcipua nobilitate conuenit. Quin etiam Episcopus nobis inscientibus Clerum misit vniuersum, qui eius funeri iusta solueret. Interim dum domi nostræ multos, multos quoque in priuatis domibus sternebat morbus; nec tamen ægros audiendi, confirmandiq. mu-

nus desideratum à nobis est, quanquam accersenda è Collegio Messanensi auxilia fuerunt. Nam præsto esse tam multis ægris, nec Sacerdotũ permittebat inopia, nec valetudo. integro incolumiq. Collegio ab visitatis muneribus numquã vacatum: & cum multorũ saluti per opportune consultum, tum vni præcipue qui etiam num cœnobita nouellus à religiosa vita ad omnem vitiorum immanitatem defecerat. ac præter alia horrenda facinora, Christi crucifixi venerandam effigiem conscelerata sica confoderat. nec tamen hunc pro meritis, patefactis terræ faucibus, inferorum ignis absorpsit. nimirum ad lamenta pœnitentiæ tam benignus Dominus reuocabat: traditus est suis inimicis vt resipisceret; nec tamẽ duobus acceptis vulneribus Dei monentis vocem audijt. vix dum vulnerum cicatrices obduxerat, cum à Deo iterum admonetur. Dies erat lætitiæ dicatus, quam frequens bombardarum significabat explosio; sed qui dies ceteris voluptati, ei fuit dolori. nam dum acceptum tormentariũ puluerem ingẽti cum spiritu bombarda reddit: pars repente diffringitur: nec fuit quem dilapsi æris impetus tangeret, cum tamen adessent multi, præter eum, qui ad vltionẽ violatæ imaginis petebatur. illi ipsi dextræ est impacta bombarda, quæ Christi simulacro nefariam sicam impegit, tum demum culpam agnouit, cum confracto brachio sensit vim quandam esse cœlestem, quæ sua malefactis supplicia reseruat. itaq. à nostris non ante discessit, quam turpitudinem omnem antecedentis ætatis sacramento confesionis abstersit.

DREPANITANVM.

Sociorũ exemplũ magno fuit Parochis ceterisq. religiosis incitamento. nam cum ante aduentum nostrum vna vix concio per Quadragesimam haberetur: nunc quoniam nostros sæpe concionantes, & diuina procurantes aspiciunt; ipsi quoque & conciones frequenter habent, & sacramenta ministrant. Confessionũ verò tanta vtilitas fuit, vt annuos labores, fructuũ iucunditas compensarit. Æger vt cõfiteretur nostros accersijt; qui quidem cum tamquam vnus è populo haberetur, repertus est professione religiosus: quo cognitois, qui confitenti aures dedit, facta ab ægro potestate, eius familiæ, cui se quintumdecimum iam annum publico voto deuinxerat, moderatorem admonuit; vt de reducenda errante ouicula, cum Prouinciali qui tum aberat, per epistolam ageret. Dum responsum expectatur, periclitatur ægrotus. ergo à Patre peccatorum vinculis soluitur, sumptoq. Christi corpore, in quo non minus ad salutem corporis, quam animi præsidij est, visus est conualescere sic, vt de cœnobio repetendo sedulo cogitaret. in hac cogitatione versanti, mors reditum interclusit; postero enim die ingrauescente morbo decessit. dedit operam Pater, vt citra omnem populi offensionem, sepulturæ à suis cœnobitis concederetur: vt quod viuus optarat, mortuus saltem adipisci posset

Æger alter prædiues, qui vt erat hominum fama, multa contra fas possidebat, cũ Sacerdotẽ ad eluẽdas

ma-

maculas postulasset: Sacerdos multo labore perfecit, vt aureos nongentos restitueret; totidémq. pios in vsus legaret. multis etiam publicas cautiones scriberet. & quia temporis obstabant angustiæ, quominus redderẽtur alia complura, quæ contra ius fasq. possidebãtur, Hæres hortãte Patre fidem suam publicis tabulis obligauit, vt quibus parens de duorum Theologorũ sententia ac Iuris periti debere diceretur, ijs omnibus satisfaceret. quod Patris nostri factum, vehementer vniuersa Ciuitas approbauit.

Funerum superstitiones ritusq. Maurici, qui in hac vrbe plurimi erant, nostrorum opera magna ex parte sublati sunt. cui rei adiumento maximo fuit primariæ feminæ exemplum: quæ in parentum funere non modo ritus illos funditus repudiauit, sed cùm ceteræ mulieres in domesticis funeribus careãt templo, careant sacris; nec nisi quadragesimo post die è suis domibus prodeant; ipsa postero die confessionis causa templum petijt, cunctisq. inspectantibus, sese ad genua Sacerdotis abiecit.

Mulierum etiam honestati prospectum est. Quædam cum huc è loco longinquo, vt cum amatore viueret contendisset, videre sibi visa est in eius ædibus truculento aspectu Dæmonem, eumq. sibi atrociter minitantem. metus repente vocem interclusit: itaque agnita culpa, significauit nutibus expiare se animum velle: Affuit è Collegio Sacerdos à quo monita, fieri non posse vt quandiu in aliena domo flagitiosis voluptatibus deseruiret, confiteretur; amantium detestata domos redituram se significauit in Patriam; redijt, vocẽ

recuperauit, peccata sua confessa est. Claudet huius acta Collegij diuinæ prouidentiæ nobile testimonium. Est vrbs quædam in Africa, quam Monasterium vulgus appellat: huc cum de more Christiani excurrerēt Maurum quemdam illius sectæ Magistrum, ac Sacerdotem captum abducunt. hunc Deus ad vitam destinabat æternam; & quia captiuis in ea regione Christianis stipem consueuerat elargiri, ascenderunt eleemosynæ eius in memoriam in conspectu Dei. sed quem secum adueherent ignari nautæ, contempta decrepiti senis vita (erat enim summa senectute) tanquam inutile pondus abijciendum putabant in mare. non paßi sunt vectores alij, seu potius diuini ratio consilij, qua res tota gubernabatur, eius animæ iacturam fieri: aduehitur Drepanū, liberq. dimittitur. hic fuit eius salutis initium: nam cum incidisset in nostros, Pater quidā exacta iam ætate senem aggreditur, cum eoq. de deserenda impia Maurorum superstitione, deq. amplectenda Christianorum religione vehementer agit. reluctari initio senex, negare se auitam religionem posse deserere. Pater quamquam primo nihil sibi proficere videbatur, animum tamen non abiecit, vrgere nihilominus institit. Quid multa? senex triduum ad deliberandum postulat: quo temporis spatio diuino afflatus spiritu extrema senectute sua, cum iam pedem prope intulerat in sepulchrum, christianū se fieri velle significauit, christianisq. præceptis imbutus salutari baptismatis aqua perfunditur. Tum demum viuere Deo cœpit, qui ad eum diem multis annorum anfractibus mortuus fuerat. Hæc Drepanitanus ager effudit;

& quamquam perexigua ciuitas est, non tamen exiguá fuit eius in nos liberalitas. nam & mille circiter aurei dati sunt, & templo annui redditus aßignati ad perpetuum & sempiternum lumen. Iam de reliquis huius prouinciæ sedibus pauca sunt quæ dicantur.

CATANENSE ET RELIQVA.

CAtanæ res eodem ferme sunt loco, quo superioribus annis. præter alia Societatis munera quæ à nostris vtiliter obeuntur, tam multi quotidie confitentes audiuntur, vt qui totius vitæ malefacta detexerint sexaginta amplius numerentur.

Est hoc anno in honorem Dei Matris è natu grandioribus instituta sodalitas, ex qua, quia studiorū causa multi Catanam confluunt, ingens speratur vtilitas.

Calataierone Ciues ædes dedere per amplas, quæ nō minoris quatuor aureorum millibus indicantur: E Sodalitio B. Virginis in Societatem adscriptus est vnus.

Rhegij multum æris nefario quæstu contracti restitutum est; præcipueque auro intextæ catenulæ, argenteaq. vasa non sine ciuitatis admiratione. Adultera adulteri ope nixa, virum necarat, ac ne indicium cædis extaret, abiecit in puteum. sed, vt nihil est tam abditum, quod non proferatur in lucem, vterque proditus, capitali sententia damnatur. Cum de more habenda esset animarum ratio, credita earum salus est nostris; quibus longa adhibenda fuit oratio, vt obstinatus adulter, & mori æquo animo vellet, & confiteri peccata. nec vero animarum tantum saluti profuere, sed etiam acerbitatem latæ sententiæ mitigârunt, quæ cum iuberet homicidis dexteras amputari, nostri à Gubernatore ne id viuis fieret impetrarunt. Ex hoc Col-

legio Crotonem profectus est concionandi causa Sacerdos: Concionum is exitus fuit, vt ciues de erigendo Collegio cogitarint, ad eamq. rem aliquot aureorum millia destinarint. Mulier Rhegina domicilium Collegio dedit. Catanensi vero Collegio donatus est ager, vnde fructus percipiuntur annui trecentorū aureorū.

Postremum in hac prouincia domicilium est Messanensis Nouitiorum domus, à quibus nihil est vnquā quod ad sui odium ac despicientiam pertinet desideratum. ac cum omnibus ex partibus Nouitiorum sese ardor ostendit, tum in abducendis aleatoribus à turpi otio consuetudineq. ludendi. acciditq. interdū vt aleatorijs onusti cartis nonnulli redirent. frater vnus quinque fasciculos attulit, nulla vi extortos, nulla collusorum offensione, sed ab ipsis collusoribus vltro oblatos: tantum potest blanda oratio blandiq. vultus. Nobilitauit hanc domū M. Antonij Colūnæ huius Regni proregis aduentus, qui cibum sumere cum fratribus voluit, et nouitios ad studiū perfectæ virtutis ac resistendū diabolo pluribus cohortatus est. hæc sunt huius acta Prouinciæ. Nunc de reliqua dicamus Italia.

*

PRO-

PROVINCIA VENETA.



Abet hæc Prouincia domicilia vndecim, socios ducentos ac sexaginta quinque. Venetijs, Nugularæ, Patauij in singulis sedibus quadragenos. totidem Brixiæ. decem Mutinæ. triginta Bononiæ. sexdecim in foro Iulij. Placentiæ septem. reliqui in reliquis. In Societatem recepti sunt decem, Mortui quinque.

E domo Veneta adhibiti sunt nostri tum ad alias res, tum ad obeundas explorandasq. Parœcias. fuit enim Patriarchæ consilium, vt in ijs Christianæ doctrinæ studium, quam edendam ipse curauerat, commendaretur à nostris. Negotium præterea Societati datũ est ab ijs, qui de rebus religionis inquirunt, vt virum quemdam religiosum à praua quadam opinione deduceret, simulq. publicas custodias inuiseret, vt imbutas erroribus mentes ad syncerã Christi doctrinam reuocaret. itaque tres errore deposito sensum suum ad Ecclesiæ sensum nutumq. flexerunt.

E Patauino Collegio quatuor sese ad nostrum numerum aggregarunt. Oratoriumq. in eo nuper est institutum tanta cum fructus vbertate, vt qui expiari confessione velint, ijs fieri præ multitudine non possit satis.

In Bononiensi Collegio quot capita, tot diuinæ prouidentiæ sunt testes. Tanta fuit hoc anno beneficentiæ vis, vt non modo nobis, quæ ad victum cultumq. corporis

ris pertinent, omnia ſuppeterent; ſed porticus etiam quattuor & viginti cubiculis ſit erecta. Prodit ex opinione virtutis, hominum in homines liberalitas; vt non mirum videatur, ſi cum apud hos ciues tam bene Societas audiat, hanc exiſtimationem par benignitas comitetur. Hoc anno conſcientiæ caſus explicari in Gymnaſio cœpti ſunt. atq. hæc ſchola quaſi quoddam vniuerſæ Prouinciæ ſeminarium futurum eſt. Sodalitium quos habeat in virtute progreſſus, docēt quotidie illi, qui ſtudio perfectæ virtutis incenſi, etiam ipſa Chriſti conſilia, ſequuntur. Cappucinis adſcripti ſunt tres: totidemq. Societati. Eſt in his frater legati Pontificij ad Regem Poloniæ, qui ſuorum impulſu in Poloniā profectus, vt rem cum fratre communicaret, facta ſibi ab eo poteſtate, noſtram vitam inſtitutumque complexus eſt.

Ferrariæ Societas eſt data tribus. accedebat etiam quartus ſi per ætatem viſus eſſet idoneus; ſed in aliud tempus reiectus graui interim morbo corripitur: mortem vbi impendere ſenſit, nullius admonitu, niſi diuino, Societatis vota, quæ in cælo perſolueret, nuncupauit. Vnum miſſum non faciam, quod in animæ ſalutē ceſſit. Aedes quidam conſtruebat in vrbe comœdijs agendis, cum illac iter faceret vnus è noſtris, qui conuerſus ad hominem, non te ſentis, inquit, ædes exſtruere Diabolo? Sic in eius animo vis admonitionis inſedit, vt cum poſtea graui morbo decederet, patrem illum acceſſeret, eiuſque dicti memorem ſe eſſe ſignificans, in animo ſibi eſſe dixerit, ædes illas pijs vſibus conſecrare.

COLLEGIVM BRIXIENSE & reliqua.

BRixiæ è sacra confeßione, & corporis Christi cõmunione non modo ad animos vtilitas rediijt, sed interdum etiam in corpora redundauit. Mulier fallente vestigio cum cecidisset, grauiter vulnerata est: cum in dubium eius salus veniret, accersito Sacerdote nostro, eiq. vt potuit peccata confessa, repente in integrũ restituta est. Quo loco apud hos ciues Societas sit, cũ alia indicant, tum illud maxime, quod cum vir nobilis testamento scriptum reliquisset, vt si quæ male parta viderentur, duorum Theologorum arbitrio restituerẽtur, iique Theologi à Religionum moderatoribus, quæ sunt Brixiæ deligendi essent; de communi omnium sententia delectus est vnus è nostris, Episcopiq. Theologus. Quod ad externam rem attinet qua, Dei beneficio; Collegium hoc non mediocriter auctum est: sunt à duabus matronis nobilibus, vt minuta mittamus, hæreditates testamento relictæ, ab altera quingentorum, ab altera quadringentorum in annuos reditus aureorũ. Placentinũ Collegium, nunc primũ collegij nomen accepit. & iam nunc quãtæ fruges animarum futuræ sint, indicat. nam & conciones libentissime audiuntur, & domi institutum est Oratoriũ, quo tam multi conueniunt, vt aliquando cum de diuinis rebus sermo haberetur in laxiorem porticum prodeundum esset; quæ tamen cũ ne ipsa quidem quantumuis laxa tantam vim populi capere potuisset, prodeundũ rursus fuit in aream patentem ac liberam cũ frequẽ-

tißi-

tißima concione. Multæ quotidie in alienis templis cõfeßiones audiuntur, pluresq. audirentur, si & templũ nobis esset, & Sacerdotum copia maior. Atqui dum animarum saluti seruitur, illud contigit admirabile. Mulieri nocturna spectra obijciebantur adeo fœda, vt nullam præ terrore quietem, nullum cibum capere posset. ardebant oculi, & toruos figere in obuium quẽque videbatur obtutus; vt aspectus ipse fidem quodam modo faceret, eam sedem malum dæmonem occupasse consulitur vnus è nostris à viro: is mulierem primum expiari confeßione iubet, tum cereum ei dat agnum, quem de ceruice suspendat. Quid plura? breui mulier illa conualuit. Atque hic ortus Placentini Collegij.


DOMVS PROBATIONIS Nugularensis.

DEceßit in hac domo Nouitius quidam, cuius vel mors ipsa, quanta fuerit virtute, declarat. vir tã sui despiciẽs, vt supremo suo tempore dignũ se identidem clamitaret, qui extra Religionis claustra vt putidum cadauer abijceretur. Et quoniam sibi ita sordebat, quanti apud Deum esset, Angelorum declarauit aspectus. nam cum intẽtis in cœlum oculis intueretur rogatus à quodã, nũ quæ species obuersaretur ob oculos. an non vides, inquit, præsentes angelos? qua specie obiecta animus deserto corpore in cœlum cum Angelis euolauit. ita perfectum illud est, quod ei à Veronẽsi Cardinali dictum est, cum suum illi de Societate consilium exposuisset; Cardinalis enim postulatis iuuenis annuens, Optimam, inquit, partem elegisti; quæ non au

feretur

feretur abſte. ita contigit; vix enim elegit, cũ eius amit tendæ facultatem mors abſtulit. Ex ijs qui ad vitæ noſtræ rationes ſe adiunxerunt, quidam cũ alteri exprobraſſet, quod cuidam ſodalitio pietatis colendæ cauſa inſtituto nomen dediſſet; ita angi animo cæpit, vt illi ipſi ſodalitio, quod tanquam probroſum alteri obiecerat, aggregare ſe omnino decreuerit. hic eos habuit in virtute progreſſus, vt non amplius alienum tractare negotiũ (cauſas enim agebat) ſed ſuũ agere conſtituerit. Cum diu penderet animi, quod nam vitæ genus potiſsimum inſtitueret, venit in mentem ſi Chriſtianæ legis præcepta rudibus pueriſq. traderet, fore vt ipſe quoque Dei docentis vocẽ exaudiret; nec ſpes eum fefellit. nam cum ad ſumendum Chriſti corpus accederet, diuinitus eſt admonitus, Dei mentem & voluntatẽ hanc eſſe, vt ſeſe illi in Societate dicaret; quod non ita multo poſt fecit. Hæc de Nouitiorũ domo. In reliquis vero Collegijs hæc fere ſunt. Veronæ inſignes animorum expiationes factæ ſunt. in his quidam ſextum & quadrageſimum amplius annum peccatorum vinclis aſtrictus, noſtrorum oratione adductus eſt, vt ea Sacerdoti indicans ſolueretur. Parmæ Cardinales duo in noſtro templo de diuinis rebus verba fecerunt, alter Veronenſis, Borromæus alter. Parmenſe templũ confitentium frequentia reliquis nihil cedit. Societatem flagitant multi; ſed vni tantum magnæ expectationi adoleſcenti conceſſa eſt.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



Vnt in Mediolanensi Prouincia Patres Fratresq. in septē distributi domicilia cētum circiter ac nonaginta, prӕter eos, qui Salutium missi sunt. In Domo Professa tres & triginta. In Collegio Brerano sex & sexaginta. In Genuēsi sex & viginti. In Taurinensi viginti. In Comensi vnus & viginti. In Vercellensi non plures quinque. In Domo probationis Aronensi vnus & viginti. Salutium autē missi sunt fere nouem.

Diminutus est hic numerus duorum interitu: auctus vero tironibus sexdecim.

DOMVS PROFESSA.

QVantӕ curӕ fuerit huic Domui salus animorū, & superiores anni declarant, & tam multis testimonijs confirmat hic annus, vt si ea colligam vniuersa, parum videar institutӕ breuitati consulere: seligā tantum ea, quӕ quanto sunt reliquis illustriora, tanto sunt memoria & litteris digniora. Sorores germanӕ duӕ honesto loco natӕ, cum amissis morte parentibus propinqui in tutelam venissent; à quo custodiri potissimum debuerunt, ab eo maxime proditӕ sunt. namq. is propinquitatis oblitus, immemor necessitudinis, amēs libidine, earū castitati insidiari turpiter ausus est

In-

Inuenta est huiusmodi ratio, vt è domestica libidine sorores ereptæ in tuto honestoq. loco collocarētur: ille vero vt erat non minus impotens in cohibēda ira, quā in frenanda libidine, eius rei auctori vim interitumq. denuntiat. Contra Pater intemperantē vehemēter accusat, exprobrat turpitudinem, obijcit infamiam. Quid multa? tantum libera illa obiurgatione profecit, vt homo elatus atque impudēs multo demißior modestiorque discesserit. Nec minore negotio magna quædam est sedata discordia. Adolescētes duo cum contra parentum voluntatem duas sibi virgines despondissent, grauißime tulerūt parentes. & quamquam conditiones matrimonij satis illæ quidem erant honestæ; adduci tamen nullo modo poterant, vt eius ineundi potestatem facerent filijs. Hinc magnum vitæ periculum adolescentibus, si datam fidem fallerent, creabatur: hinc puellis, si non ducerentur, nota quædam inurebatur infamiæ. Tam grauis controuersia tolli non facile poterat, nisi diuinæ bonitati placuisset ad eā rem nostros homines adhibere; qui cum parentibus persuasissent, vt eas nuptias ratas habere vellent, tum demū motus omnis perturbatioq. sedata est. Honestæ mulieri sæpe coniux minatus est mortem, eamq. domi conclusit, vt scelus nocte perficeret. conuulsis illa repagulis fugit ad nostros, à quibus & periculo exempta est, & in gratiam coniugis restituta. Atque huius generis controuersiæ, quæ quotidie toto fere terrarum orbe nostrorum opera componuntur, ita multæ sunt, vt eas putidum sit diligentius enumerare. Venio ad ea quæ lustrandis expiandisq. per confeßionem animis parta

sunt

ſunt Deo. quo ex munere ſi nulla alia conſtaret vtilitas, illa certe maxima, quod multi, quos diuturnus pudor impediebat, quo minus Sacerdoti ſe proderent vniuerſos; tandem, quæ ſumma Dei miſericordia eſt, quicquid foedum latebat in animis effuderunt. atque in his quidam, quamuis minimum octauo quoque die animi morbos confeßionis medicina curaret; nũquam tamen niſi trigeſimo poſt anno peccatorum, quæ celauerat, virus euomuit. Nemo eſt ex his Sacerdotibus, quin viginti minimum totius vitæ confeßiones excepe rit. Femina quædam primaria, ætate, nobilitate, atq. opibus florens orbata viro, vt ſe curis quibuſdam moleſtijsq. liberaret, Cardinali ſignificauit ſibi eſſe in animo inter ſacras virgines vitã agere. Cardinali res cordi fuit; itaque eius rogatu Sacerdotem, cui confiteretur, dedit e noſtris: ab eo eſt Societatis meditationibus, vt Cardinalis iuſſerat, inſtituta; qua ex re tantum proceßit ad perfectæ virtutis aditum, vt ſe ſuaq. vniuerſa conſecrare Deo omnino decreuerit: & vt à rebus ordiretur externis, ſuas omnes fortunas Cardinalis permiſit arbitrio, quas ille in pios vſus diſtribueret. Tantus autem eam diuini cepit ardor amoris, vt alius nullus exiret ex ore ſermo, niſi de rerũ humanarum deſpicientia. Tandem cum in coenobium ſeſe reciperet, quicquid præ manibus habuit, veſtium, annulorum, & huius generis alia, id totum in templorum, & egenorum vſus contulit. Nec vero ſuæ nos liberalitatis expertes fecit. nam præterquam quod templo noſtro muliebre veſtimentum magni pretij dono dedit; ſignificauit etiam, velle ſe partem quamdam ex quindecim

octo-

octodecimve aureorum millibus, quæ sibi reseruauerat, ædificationi nostræ tribuere. Atque id totum sua sponte, nemine postulante, quod eo magis Cardinalis, cognatique probarunt, quod intellexerunt, nostris hominibus nihil aliud esse propositũ, præter animarum lucrum ac salutem. Atque hic rerum status in hac Domo Professa. Res temporaria satis ex sententia procedit. nã quæ nobis eleemosynæ nomine ciuiũ benignitas vltro detulit, ea si ad calculos reuocentur, summam efficient aureorũ trium millium supra quingentos. Nec desunt qui ad reliquam exædificationem templi amplas spoponderint eleemosynas.

COLLEGIVM BRERANVM.

DOmi præter ea præsidia, quæ ad bene Christianeque viuendũ Gymnasii auditoribus data sunt ceterorum etiam saluti consultum est. Mulier voto se Virginitatis obstrinxerat, sed rei difficultate deterritã consilij deinde pœnituit. Cum præterita mutare non posset, Diabolum inuocabat, vt ad inferos se viuam abriperet: librum etiam protulit magicum ad euocandos carminibus dæmones, quibus id negotij daret, vt suis propinquis molirentur interitum. Iam erat in animo nefarium illud volumen euoluere, iam execranda carmina recitare, cum a Sacerdote nostro, cui solita est confiteri, à tanto scelere reuocatur. ab eo confirmata ac recreata cœpit animo meliora complecti. & quæ virginitatem Deo se vouisse dolebat, Virginum in Cœ

nobium se dicare non dubitauit. Sunt ex hoc Collegio non nulli varijs temporibus varia in loca dimißi, qui non minus strenuam operam in aliena curanda salute, quam qui domi manserant, posuerunt. Missus est sacerdos cum Borromeo Cardinali ad Ecclesias Grisonum inspiciendas, vbi tum Confeßionum, tum Concionum opera, tum vero sanctißimi Cardinalis exemplo magna est ad Catholicam fidem hæreticorũ facta conuersio. In his Ecclesiæ restitutus est quidã Præfectus Oppidi in Valle Vulturena, qui, quod e loco superiore paucis ante mensibus Sacerdos noster de catholica religione verba fecisset, mille aureorum multam ei dixerat. Puschiauium profecti sunt hij duo, quod ipsum Rhætorum seu Grisonum Oppidum est, sed in quo vt in libera ciuitate ius dicitur. Totum oppidum in duas diuisum est partes; alteram Catholicorum, alteram Zuinglianorum Lutheranorumque; sed Catholici numero sunt pæne altero tanto superiores. habent hæretici ministrum semper aliquem, à quo toto anno conciones audiant, singulis hebdomadis ternas. præpositus est huic muneri indoctus quidam & agrestis homo, qui ante annos duodecim quæstus caussa cados vinarios factitabat. huic quæ pro concione dicat, quoniam domi suæ non habet vnde promat, suggerit coniunx, quæ quondam fuit Abbatissa Cœnobij; tum etiam Auditores ipsi, qui cum concionanti aliquantulum dederunt operam, fessi somno totis capitibus annuunt; mox experrecti finem dicendi imperant. Quadragesimum iam annum integro & catholico concionatore carebant. In

tantis

tantis tenebris oblata lux est à Deo, qui per nostros tum nutantes catholicorum animos confirmauit, vt pro ea iam, quemadmodum ipsi dicebant, mortem non dubitarent oppetere, tum ex hæreticis nouem ad catholicam adiunxit Ecclesiam: in his Patrem quendam familias, qui ipse propediem ad eandem religionẽ suos omnes alliciet. cõplures vero alij hæresim eiurassent, nisi eos discessus nostrorum retardasset. eorum enim sunt illæ voces, Deseremur à vobis, & reuertemur ad pristina: quin etiam affirmauit quidam, si in ijs regionibus nostri mansissent, fore vt vniuersi catholicam fidem amplecterentur: Tanta autem erat apud eos existimatio nostrorum, vt ad eos non modo consilij caussa, sed interdum etiam vt morborum peterent medicinas, vel ipsi hæretici ventitarent. Execrabantur alij diem illum, quo in eorum regionem minister ille hæreticus penetrasset. Ipse vero minister furore inflammatus domos Lutheranorum omnium concursabat, hortans vnumquemque, vt nostros homines è suis finibus pellerent. deridebatur à suis, qui dum dant homini verba, dum pollicentur quotidie, se post diẽ octauum, quod ille iubebat, esse facturos: ad vltimam vsq. Quadragesimam hominem extraxerunt. Habebant in eodem templo & Sacerdos noster, & Minister hæreticus concionem, sed hic apud paucissimos, vt viginti auditorum numerum non explerent; ille vero nunquam non apud multos præsertim sacris diebus. atq. hæc ipsa frequentia, quoniam multi ex longinquis etiam Oppidis concurrebant, amplificabatur in dies; tũ præsertim cum & frigida tempestas esset, & peren

nes imbres, niuesque & viarum asperitas. Præter conciones institutæ sunt supplicationes publicæ non sine magna tum catholicorum gratulatione, tum hæreticorum pudore. Habitæ etiam cum hæreticis disputationes non sine ipsorum dedecore & probro. qui cum manifestis rationibus tenerentur, cogebantur demum ijs quæ Pater diceret, assentiri. nec aliter suam excusabant inscitiam, nisi Patris accusando sapientiam; quod negarent iccirco ei posse resisti, quod ille Doctor esset insignis. Omnes fere catholici, qui mille ducenti circiter & quinquaginta numerabantur, expiatis confessione peccatis sacratissimum Christi corpus sumpserunt. quæ res eo est habenda maior, quod in ijs locis multi ne nomen quidem huius audierant sacramenti. quocirca nostri in tradenda rudibus confitendi ratione satis habuere negotij. Promulgatum est etiam Iubilæum, quod summus Pontifex per id tempus indixerat: Sed quoniam quæ vis esset Iubilæi, ne hoc quidem quisquã tenebat, pro concione explicandum id fuit. In digressu relicta sunt illis præcepta institutaq. salutaria, præsertim quæ ad templorum cultum & sacrorum procurationem pertinerent. adhibita præterea Parocho cohortatio viro quidem bono, sed non admodum erudito, vt creditas sibi oues quam diligentissime curet, easque tum doctrinæ Christianæ pabulo, tum diuino verbo reficiat. idque de superiore loco, ne in posterum sermo detur hæreticis, qui in ignominiã Catholicorum iactabant, Catholicum audere neminem, nisi forte Monachum, aut Iesuitam de superiore loco disserere. Denique salutaris his hominibus fuit nostrorum aduentus,

tus, quo etiã tristior visus est discessus. Flebant enim vbertim, cum à nostris diuellerentur, eosque discedentes prosecuti sunt adeo multi, facile vt appareret, quam arctis officijs illorum sibi animos nostri deuinxerint. Atque hæc ex hoc Collegio præcipua.

TAVRINENSE COLLEGIVM & Domus Probationis Aronensis.

TAurini recepti sunt in Societate quatuor, totidemq. ad alios ordines coenobiaq. dimissi. Sodalitium B. Virginis è natu grandioribus institutum est. quo graues etiã viri senatoresq. conueniunt. Tẽplum celebratur vt cum maxime. duobus festis ad cœleste conuiuium mille circiter accessere. præter eos qui, quoniam loci premebantur angustijs, ad alias mẽsas expiatis apud nos animis discedebant. Sed peccatorum expiatione complures è vitiorũ sordibus emerserunt, non nulliq. ex animi & corporis sunt erepti periculis. Quidã siue alta quædam tristitia, siue desperatio animum occupasset, inedia se ipse confecerat, in eoque pertinaciter stabat, nihil vt omnino gustaret: tandem nostrorum monitis suasuq. se flexit, cibumq. sumpsit. sero ille quidem, erat enim iam ad extrema deductus; sed tamen cum corporis non posset, animæ saluti prospexit. peccatum suum quod sui ipsius homicida fuisset, magno cum dolore sensuque animi confessus est, sacroque inunctus oleo, vt in extremo certamine cõstitutis mos est, excessit è vita. Reus in quæstione siue nocendi consilio, siue vt mendacio se à cru-

ciatibus liberaret, nobilem quemdam iuuenem grauis cædis auctorem nominauerat. cum duceretur ad mortem, actum est diligenter à nostris vt confeßionem ille suam coram multitudine & coram Iudice de patibulo ipso retexeret. ita eadem opera duobus hominibus dispari beneficio consultum est. alteri, ne capitis discrimen adiret, si innocenti vitæ falsum crimen hæsisset; alteri, ne cum corpore simul animum perderet, si tanti sceleris conscientia diem vltimum clauderet. His alijsque nostrorum officijs dum hominum saluti seruitur, vsitata hominum beneficientia non defuit. Princeps vir, Ducis affinis ad Lauretanam profectus Aedem, vbi comiter est exceptus à nostris, ita amare nos cœpit, vt cũ primũ huc reuertisset, exædificationi templi certam pecuniæ summam in annos singulos assignarit. erat etiam in animo Societatis Collegium vel Probationis Domum suo quodã in oppido collocare; ad eamque rẽ ædes sane commodas, annuosque reditus satis amplos decreuit. Hanc liberalitatem alius imitatus est ciuis, qui idem medicus, idem theologus cum se suaque omnia consecrare Societati vellet, nec tamen iustis de caußis fieret voti compos; bonorum omnium donationem Societati fecit. & quamquam nostris auctoribus vsus fructus sibi superstiti reseruauit; tamen quicquid ex tenui frugaliq. eius victu cultuque superest, id totum in rem nostram benigne confert, præcipueq. in apparandam instruendamque, Collegij caußa, bibliothecam. Tam egregiam ciuis liberalitatem Deus ipse compenset.

Ex Aronensi Domo præterea quæ domi gesta

sunt,

ſunt, non exigui vtilitatis fructus in proximos redundarūt. Bacchanalibus dum Catechiſmi ſpecie compoſitum puerorum agmen per vrbem ducitur, & laruarum monſtra ſublata, & ſaltantium choreæ diſſipatæ ſunt. Controuerſiæ quoq. & inimicitiæ compreſſæ nō nullæ. Quidam cum à propinquo accepiſſet iniuriam, mortem ei vel cum animi corporiſq. periculo decreuit inferre. in eoque adeo pertinax erat, vt de ſententia nullius poſſet auctoritate deduci. vt ad noſtros ventum eſt, Pater qui cum eo agere cœperit, durum hominem noua quadam ratione flectendum exiſtimauit. vna templum ingreditur: valuas occludit: coram auguſtiſsimo Chriſti corpore precationi ſecum ſe dedat hortatur. negat ille ſe vel ad recitandam precationis dominicæ formulam expedire poſſe linguam. Tam graui morbo varia & multiplex eſt admota curatio, modo quæ vreret, modo quæ dolorem leniret: precibus miſtæ minæ, & acres obiurgationes blandis cohortationibus temperatæ. nullum tamen proderat medicinæ genus: reſpondebat ſibi illa non eſſe noua, neque ignarum ſe eſſe diſcriminis ſui, ſed tum aduениſſe tempus, cum ſibi neceſſario pereundum eſſet; quoniam conſtrictus catenis teneretur à dæmone. rogatus per confeſsionem abſolui ne vellet; ne id quidem optare ſe poſſe dixit, & quamquam non eſſet neſcius, quam grauiter offenderet apud Deum & quantam ſtrueret ſibi ipſe perniciem, nunquam tamen ſe commiſſurum, vt ſi iniuriæ cederet, in eo gloriaretur inimicus. Sed nimirum in curandis animis, vt in corporibus par eſt adhibenda conſtantia. Pater nunquam diuinæ bonitati diſ-

fisus denuo furentem aggreditur, denuo precationi se dedat hortatur, interim ipse adhibitis deprecatoribus BB. Gratiniano, & Felino Martiribus, quorum in eo templo sita sunt corpora, magna animi contentione supplicare Deo institit, vt discussa caligine lumen aliquod cæcæ menti præferret. Vix precandi finem fecerat, cum cæco dies illuxit. itaque sublatis in cælum manibus gratias ijs, quos dixi Martyribus agere cœpit, quod eorum meritis clarissima sibi lux esset oborta, vt quanto in periculo versaretur, tum demum aperte perspiceret. itaque non prius abire è templo constituit, quam aduocato inimico reconciliatio gratiæ facta est.

COLLEGIVM COMENSE, & Vercellense.

ETsi paucos socios alit Comense Collegium, non tamen in proximorum prouehenda salute postremas tenet. Ac dum publica valetudinaria inuisuntur ceteraq. Societatis munera obeuntur, sunt & prodigia animaduersa nonnunquam. Erat in valetudinario ex administris energumena quædam, quæ eo consilio ad Sacerdotem nostrum deducta est, vt per eum malus dæmon abigeretur. Pater mulierem primo cohortatus est, vt id pœnarum genus immissum à Deo æquo animo acciperet, eiusque arbitrio suam causam salutemq. committeret: Tum adhibitis de more precibus, eam die tertio Dei benignitate liberam solutamq. dimisit. Nec minore illud admiratione dignũ est, cum æger

æger quidam magnis febribus iactaretur, confeßionis causa sacerdotem nostrum accersiit: qui dum medetur animo, non sentit se medicinam ægro corpori facere. æger enim expiatis confeßione peccatis, conuersus ad Patrem, Tuus, inquit, aduentus meum expulit morbum. fidē fecit subitus è cubili discessus. postridie enim gaudio exultans ac si iampridem è lectulo surrexisset ad Oratorium cum reliquis sodalibus sese contulit; stupentibus qui totius rei conscij erant. Concionū non minor opportunitas fuit quam familiaris congressus. Missus est per Quadragesimam Borromei Cardinalis rogatu concionator vnus in oppidū quoddam suæ diœcesis: quod quidem oppidū icцirco à sanctißimo pastore dißidebat, quod penes se, non penes Cardinalem esse volebat eligendi concionatoris arbitrium. Concionator tamen ille, etsi à Cardinali dabatur, libentißimis animis exceptus est; & cum è suis concionibus eam cœpit vtilitatem, quàm à Dei bonitate sperari par est; tū gregem cum pastore coniunxit, omniumq. animos induxit, vt persuasißimum esset, nunquam ab eo in posterū dißidere. Alia non minus grauia dißidia sublata sunt. Parens & filius mutuis odijs discordijsq. se pene consumpserant. neuter æquis oculis videre alterū poterat, & præter grauißimas contumelias, quas vicißim alter in alterum intorquebat, minimum abfuit, quin ad arma sæpe venirent. Parens potestate patria filio se maledicturū minitabatur: Filius negabat eum parentis numero sibi esse, ac minis subinde terrebat. his altercationibus accendebatur odium, nec qui restingueret facile inuentus est. finem discordiarum per no-

nostros attulit Deus. Quare nunc ambo tanta animi consensione inter se viuunt, quantam necesse est esse inter parentem & filium. Nec vero inter externos modo dißidentium animi reconciliati, sed etiam qui nostro ordini infensi erant ad amicitiam nostram consuetudinemq. traducti sunt. Ciuis male in nos animatus, mentitus est palam quemdam e nostris propter grauißima scelera Venetijs infami morte multatum esse. Sed ne hominis mendacio aliqua labes nostro nomini aspergeretur, ciuis quidã pro amicitia dedit operam, vt is coram ijs, apud quos famam nostram violauerat, palinodiam caneret: adduci non potuit: accesßit auctoritas alterius viri grauis qui lege sibi agendum esse existimabat; nostrisq. id recusantibus dixit eã iniuriam suam ducere, sibiq. statutum esse vel nobis inuitis pro dignitate nostra pugnare. non fuit opus; prior enim ille amicus anteuertit, & hominem mendacem induxit, vt commutata voluntate orationem suam retexeret. ita multo honestius silentio res est compressa quam foro. Alius multos iam annos tantum in nos conceperat odium, vt ne nomẽ quidem nostrum æquis auribus audiret: Immo tã fœda in nostrũ ordinem suis sermonibus eructabat, vt ab eorum commemoratione vel aures ipsæ adhorrerent. nostrorum lenitate perfectum est, vt summum illud odium pari nunc amore compenset. Ciuitas nostra est, quod & hominum concursus indicat ad ædem nostrã, & singularis quædam in conferenda stipe benignitas. quæ ipsa multo maior foret, si nostra ipsis perspecta esset inopia. accidit, vt cum maxime laboraretur, mendicandum tota

vrbe

vrbe nostris fratribus esset; quæ res ab eis eo lætioribus animis excepta est, quò efflagitata vehementius. Sed quod nostris fuit materia virtutis, id ciuitatis in nos animum declarauit. venit enim ad Collegium solicita nobiscum querens, quod nihil sibi ea de re significatum esset: nec ita multo post mittendis muneribus domum cumulate subuenit. eadem ciuium liberalitate nonnullæ in Gymnasio exædificatæ sunt exhedræ. Turris etiam campanis sustinendis erecta; campanæque magni ponderis binæ coemptæ; & id genus alia à benefica ciuitate in nos profecta sunt.

Vercellense Collegium *vt adhuc in suo ortu, nondum suis opibus auctum & confirmatum est. id tamen propediem fore speramus. Cardinalis Vercellensis cum huc venisset, significauit causam aduentus sui eam fuisse præcipuam, vt rem Collegij à se inchoati proueheret. bis ædes inspexit, bis templum: vrbemq. totam ipsemet obijt, vt aptissimum nobis ad ædificandum locum deligeret. in eamq. rem nummum aureorum quatuor millia decreuit. Denique noster est & ad rē nostram gerendam sua sponte propensus.*

MISSIO IN SALVTIOS.

IN *Salutijs noua rerum facies, ex quo in eas oras Societas penetrauit. Catholici nequaquam satis nostros homines laudare possunt, in eoq. maxime gloriātur, quod inter ipsos sit qui desperatis emolumētis & commodis Christum prædicent. Nostrorum aduentus vix dici potest quam debilitarit hæreticos. quanquam*

in his oris ea est eorum pertinacia, vt quodam in oppido pœna capitis sanxerint, ad Catholicos ne quis transeat. admoniti de suo ipsorum interitu, respondēt siue salus siue interitus eos maneat, sibi esse perinde: persuasissimū esse viuere in instituto. Tamen & eo ipso in loco vidua quædā ad Catholicos se recepit, & in alio vbi sedes Societas habet, alij decē. Apud hæreticos magna erat antea existimatio Caluini. vulgo lectitabatur & terebatur assidue: nunc deniq. refrixit eius studiū, toties iam eius confutatis erroribus. Quin hęretici ipsi ne suis quidē contenti dogmatibus incipiunt tum è suis non nulla explodere, tū è nostris amplecti nonnulla. aliqui accedere ad sacrificiū Missæ non dubitāt; alij suos ad Ecclesiā liberos mittunt vt in baptismate renascantur: quod dicant sibi iam liquere sectā suam diuturnā esse non posse. Ac si regiū aliquid interueniret edictū nemo non, vt vel ipsi fatētur hæretici, fidem Catholicā amplecteretur. quod ipsum iccirco fit verisimile, quod multos qui se errare non nesciunt, confiteri tamen id pudet. huc accedit quod onera quædam a suis imposita tolerare non possunt: & quod caput est sentiūt improbam eorum vitam cum disciplinæ prauitate congruere. Aestas multos in hæc loca morbos inuexit. quæ res nostris fuit, dum ægris corporibus animisque subueniunt, seges quædam & materia virtutis. Catholicus vir primarius iam ætate prouectus, nullum admittebat de morte sermonem: cum incidisset in morbum, nostri Patris admonitu præclare se ad omnem euentum comparauit. labes animi confessionis sacramēto deleuit ac sese Dei permisit arbitrio. duo de præ-

cipuis hæreticis vt eum ab institutis abducerent inuiserunt:quod ille sentiens nihil ad eorum interrogata salutationesq. respondit;cum tamen catholicos magna hilaritate vultus & sermonis exciperet. itaque ingrauescente morbo sacramentis munitus Ecclesiæ cessit è vita. Cum adhuc viueret eleemosynæ nomine aureos nummos octingentos collocandis in matrimonium virginibus; aliisue subleuãdis egenis dari iussit. Excursum est in finitimos etiam locos, præsertim ad Vallem Mairam magna cum voluptate Catholicorum. mira in his locis à religiosis hominibus solitudo, tum propter regionum asperitatem, tum propter multitudinem & feritatem hæreticorum. vigesimum iam annum Catholici illi concionatorẽ non viderant: maxime autem in nostros homines propendebant. itaque communi etiã hæreticorum consensu, qui alias intercesserant, decreuerunt eum ipsum Sacerdotem, quem proxima hyeme habuerant, Quadragesimæ tempore accersendum: hæreticiq. ipsi litteras Reip. nomine reddiderunt. Concessus est quem petebant exceptusq. maxima omnium gratulatione: auditus vero pari cum Catholicorum tum hæreticorum frequentia. Populi eum vniuersi honoris caussa comitabantur. cumq. aliquando Catholicorum rogatu de sacrificio Missæ concionem habuisset. exultabant postea in hæreticorum conspectu Catholici, illud affirmantes quemadmodum Pater verbis auctoritateq. sacrarum litterarum sanctorumq. Patrum, ita se pro sacrificio Missæ re armisque dimicaturos. nullum vnquam vbi vbi essent interrogandi finem faciebant. Patrem frequenter adibant

ve-

vespertinis præsertim temporibus, cum eoq. quaternas senasue horas excipiendis sacræ scripturæ locis quibus hæreticorum mendacia redarguerent consumebant. Itaque mirum est, quam in his oris exultãs quondam hæreticorum superbia ac contumacia repressa sit. In hac ipsa valle hæretici duodequadraginta Ecclesiæ se subiecerunt, aliique fere centum, quorum religio nec integra nec constans erat, confirmati in ea sunt, sic vt quiduis potius perpessuros se esse confirment, quam vt abduci se in posterum à falsis doctoribus patiantur. Complures alij communem matrem agnouissent Ecclesiam, nisi Quadragesima ineunte hæreticorum minister sese occulte insinuasset: is dum clandestinis colloquijs ab audiendis Catholicorũ concionibus & à congressu Patris vnumquemque deterret, valde remoratus est rem Catholicam. Id tamen non mediocri fuit adiumento Catholicis; quod is ad disputandum tum publice tum priuatim sæpe lacessitus (spondentibus pro eo etiam hæreticis) disputationis pugnam turpiter abnuit. & est sane mirandum, congressum illi nostrum quantopere fugiant. Quare magna spes est breui complures ex his locis ab hæresum peste liberos fore. Quod vtinam pro sua in Catholicos prouidentia, det Deus.

PROVINCIA POLONIAE.



Onstat vniuersa Polonia quindecim circiter domicilijs. socij prope trecẽtis. In Bransbergensi modo quinquaginta, modo septuaginta fuerunt. In Pultouiensi duodetriginta. In Vilnensi sexaginta. In Posnaniensi tres & triginta. Iaroslauij fere triginta. Rigæ sex. Torpati septem. In Lublinensi Collegio tres. Stocholmij totidem. Reliqui in ceteris. Dicarunt se in Societatem quattuor circiter & quadraginta. Octo migrarunt è vita. Quoniam autem ex hac prouincia biennio iam desideratæ sunt litteræ, ita huius anni acta commemorabimus, vt Superioris etiam ratio habeatur.

BRANSBERGENSE, & Pultouiense.

E *Bransbergensi Collegio duo & viginti ad Societatem aggregati sunt. Nouitiorum in primis virtus enituit, qui dum in subleuandis ægrorũ miserijs operam suam collocant, miserum quemdam relictum ab omnibus totoque corpore in cœno iacentem sedulo curarunt, nec semel vniuersum suis ipsi manibus eluerunt. quæ res maxime profuit ad exemplum. In Pomeraniæ, & Prussiæ partes itum est, vbi cum bene gesta permulta, tum ad Ecclesiæ gremium reducti complures. Sunt huic adiuncta collegio Seminarium Pontifi-*

tificium ac Diœcesanum, tum etiam conuictorum contubernium. Cum conuictoribus agunt quattuor è nostris, duo autem in Seminario Pontificio, totidemq. in Diœcesano. Discipulorum numerus ad trecentos: quorum sæpe non minus ardens pietatis est studium, quã litterarum. Certe Põtificij Seminarij Alumni ea virtutis documenta præbent, vt à religiosis cœnobitis illustriora non flagites. Fuerũt qui celebrioribus quibusdam diebus mendicos conuiuio exciperent, pedes abluerent, vlcera contrectarent, iisq. ad naturæ superãdos horrores etiam oscula figerent. Alius pene puer ad tempus dimissus in patriam, quæ tota ferme constat hæreticis, hæreticos concionatores, & per expedito latine loquendi vsu, & popularibus quibusdam rationibus ita perstrinxit, vt in insaniam versi publice pro concione in eius propinquos inueherentur, ac ne ad nos remitterent, prohiberent. qui tamen vellent nollent remissus est clam.

Duos ad nostrũ *numerum Pultouiense Collegiũ adlegit, nec minore studio ceterorum commodis salutique consuluit. Quidam cum multis annis grauissima peccata confiteri negligeret ob eamq. causam vna cũ coniuge grauiter ægrotaret, ecce tibi humana specie dæmon, qui gladio homini demonstrato, vt se suamque vxorem liberosq. necaret hortatus est. Ex altera parte vox extitit ex occulto, qua expiare scelera iubebatur. cui cum parere induxisset in animũ, continuo melius habere cœpit; nec ita multo post in pristinam valetudinem restitutus vniuersa apud nos peccata vt in animo constituerat, expiauit.*

Hære-

Hæretici quamquam rari admodum, quæ Dei benignitas est, in hac Poloniæ ora versantur, ex ijs tamē qui sunt, quindecim ad Ecclesiā redierūt. in his octogenarius quidam, alter Sacerdos, qui decimū iam annum hæreticorum minister fuerat, Tertius Anabaptista.
Habita est & vicinorum exterorumque ratio præcipueq. Liuæ; quod oppidum quanquam hæreticis vndique cinctum sit. tamen tanti ad confeßionem communionemq. fuere concursus, vt toto Paschatis triduō ne quattuor quidem Sacerdotes, aßidua opera, facerent satis. Catholici autem quamuis cum Anabaptistis sint vbique permisti, & ad nefariam sectam omnibus opibus instigentur, constantißimi tamen reperiuntur: ijq. nostrorum aduētu & mirifice recreati sunt, & in proposito confirmati.
Gymnasium & nobilitate floret & numero. Regis ex fratre nepos Andreas Batorius, is quem supra nominauimus, cum quadriennio amplius operam Gymnasio nostro dedisset; hoc anno euocatus à Rege cum omnes pereleganti oratione publice salutasset, magnō omnium cū mœrore desiderioq. disceßit. Ceterorū auditorum pietas cum litterarum studio certat. ex ijs quidā magnis à fratre promißis solicitatus, vt & scholas nostras, & catholicam religionem desereret, chariorem sibi esse salutem animi, quam fratris promissa respondit; quin si ipse in perfidia persisteret, sibi eum fratris numero non futurum. Quoniam autem ex his auditoribus non desunt, qui rei familiaris inopia & tecto careant, & rebus quæ ad vsus vitæ pertinent ne-

cessarijs, nostri eis de habitatione commodãt gratis, & per piorũ hominũ subsidia præsto sunt. Ad Collegij autem amplitudinem, & nostrorum habitandi commoditatem non parua accessio facta est. Templumq. ab auctore & parente collegij multis ante annis inchoatum postea deiectum magnificentius ædificari cœptum est.

VILNENSE.

Admisit in Sociatatem Vilnense collegium hoc anno tredecim: superiore, tres. quorum pleriq. philosophia & litteris perpoliti sunt. Hæc causa fuit cur Dei matris sodalitas suo sit numero diminuta: inde enim magna ex parte prodiere. quanquam quæ B. Virginis tutela est, in eorum locum suffecti sunt alij viri in primis nobiles, qui pietatis & religionis ardore vniuersis sunt exemplo sodalibus. In Gymnasio conscientiæ casus, explicari nunc primum cœpti sunt, ad eosque tum è nostris, tum ex externis complures accedunt. De Templo hoc vniuerse dici potest, confitentiũ turbæ vix, ac ne vix quidem fieri satis; sæpeq. non nullos confessionis opportunitatem totas hebdomadas aucupari. Sane pernecessaria est in his oris Sociorum opera, nec tam ad expiandos quam ad erudiendos multorum animos; in quibus mira rerum, quæ ad religionem pertinent, ignoratio est. nihil hic de Inferorũ pœnis, nihil de Christianæ vitæ officio cognitum est. Atque hoc in ipsa vrbe. nam pagos vix nota vlla ab ethnicis internoscas; ita sunt crassis circumfusi tenebris. Erat consuetudo quædam Ethnicorum superstitio-

tionibus non absimilis, vt inter Missæ sacrificium pulli gallinacei inijcerentur in templum, quorum volatu existimabant vnius cuiusq. rei exitus declarari. nam si iniectus gallus in sublime volasset, prospera; sin aliter prænunciabat aduersa. Sed hæc superstitio sensim Deo opitulante minuitur, & vt alia multa praue instituta, ita hoc, eodem adiutore Deo, funditus euelletur. A Luthero Caluinoque discessere triginta. A Schismate etiam octo. In his Palatina quædam, quæ quadragesimum iam annum misere iacebat in tenebris. Quidam autem nobilis adolescens adeo pertinaciter hærebat in hæresi, vt Catholicorum vitaret aspectum cumq. morbo oppressus inuiseretur à nostris, ægre eos admisit, veritus ne cum fari cœpissent, mortis eum horrore perfũderent: sed alios est eos ac suspicabatur, expertus; qui non modo ei non fuere terrori, sed fuere solatio. promisitq. Sacerdos noster pro eius incolumitate postridie, quà hora febris accederet, eadem se sacra facturum. Tum ille, si perfeceris inquit, ne crastina febris accedat, Credam sacrificio vestro vim inesse diuinam. sacrificauit pater, nec febris, quæ metuebatur, accessit. Adolescens quamquam sacrificij vim sensit; tamen in sententia perstabat. itaque minatur Pater, fore vt consequenti sacrificio, febris quæ recesserat, reuertatur. ille, ne faciat rogat. sibi certum esse de sententia desistere. itaque recreatus è morbo & catholicæ religioni nomen dedit, & B. Virginis sodalitio. Nobilis femina cum sæpe ante de religione nobiscum egisset, numquam autem vt eam susciperet, induci posset; tandem vnici morte fi-

lij perculsa, Dei se punientis dextram agnouit. Vilnã itaque venit, ac de reijcienda hæresi serio nobiscum egit; sed cum adhuc religionum scrupuli residerent, ac cersito Caluiniano ministro, placuit cum Catholicis disputationem institui. Inita à nostris pugna, vt hæsitantem ministrũ mulier aspexit, continuo se Romanæ Ecclesiæ, renitente Senatore quodam, vnde hæresim hauserat, consecrauit.

MISSIO SMODECENSIS.

Sed quæ domi geruntur nihil ad ea, quæ gesta sunt foris. Smodeci superstitiones & errores sublati sunt multi. Larem pagani colebant, quem illi, Dimstipan, nos fumi aut foci dominum appellare possumus. huic par gallorum à vicinis offerebatur. deinde pro cuiusque fortunis epulum inibatur. epularum aliquid relinquere in insequentem diem religioni erat. quin aqua ipsa vnde lances elutæ essent, absumebatur igne. Mortuis epulas anniuersario die pro suis quisque opibus ministrabat. ministrandi is erat ritus: effundebatur aqua sub mensam, cochlearia erigebantur in patinis, cereisq. accensis certis quibusdam verbis mortuum sortilegus compellabat. quibus rite peractis tum demum accumbebatur. cibiq. primum frustulũ deijciebatur in terram. Nec minus illa ridicula: Die Pentecostes frumenti partem singulæ familiæ conferebant, potioneq. è frumento confecta simul conueniebant: cumque vel ariete immolato, vel ad ripas fluminum boue cæso discumberent; sortilegus aut alius quispiã

ætate prouectior de carnibus prælibabat; ab eoq. omnes tempus & auram commodam precabantur. Quid singula colligam? nulla pene res superstitione vacabat. Si cuipiam filius ægrotaret, is sortilegum accersebat, qui iactis sortibus Deo agnum pro ægrotantis salute litabat. eo cæso parentibus tantum cæterisq. filijs vesci fas erat, relicta pelle sortilego. Si serendum esset, gallus gallinaque sacrificabatur. Si quid in grege suum generosum existeret, id pater familias Deo ad augendũ gregis numerum sacrificabat. De sacrificato præter liberos parentesq. gustabat nemo. Infantes qui sine baptismate decessissent, in sacra tilia reponebantur, quod vulgo dicerent nefas esse huiusmodi puerulos terræ mandari. Mos etiam fuit, vt mulieres sue, diuturno tẽpore, saginata litarent. eamque postea apparatam opipare deuorarent: reliquias vero partim in borreo terræ mandarent, partim sub mola domestica. præficiebatur his sacris sponsa nouella, quæ sacra violantibus Deæ Telluris minitaretur vltionem. Hæc & alia superstitionum genera, quæ missa facimus, paria necessario uitia consequebantur. Ebrietas numerabatur in laudibus. Matrimonia ex raptu virginum inibantur; nec vnã tantum vnus, sed plures ducebat vxores. Nihil de Deo trino vnicoq. nihil de humani generis Redemptione, nihil de animorum immortalitate auditũ erat. Sacramentorum nullus erat vsus: tantum tractabatur aratrum, & omnis eorum cura in occatione & subigendis glebis consumebatur. Quo circa in his excolendis hominibus quantum fuerit insudandum, non est difficile existimare. Deo iuuante perfectum est, vt

nostros attulit Deus. Quare nunc ambo tanta animi consensione inter se viuunt, quantam necesse est esse inter parentem & filium. Nec vero inter externos modo dissidentium animi reconciliati, sed etiam qui nostro ordini infensi erant ad amicitiam nostram consuetudinemq. traducti sunt. Ciuis male in nos animatus, mentitus est palam quemdam e nostris propter grauissima scelera Venetijs infami morte multatum esse. Sed ne hominis mendacio aliqua labes nostro nomini aspergeretur, ciuis quidā pro amicitia dedit operam, vt is coram ijs, apud quos famam nostram violauerat, palinodiam caneret: adduci non potuit: accessit auctoritas alterius viri grauis qui lege sibi agendum esse existimabat; nostrisq. id recusantibus dixit eā iniuriam suam ducere, sibiq. statutum esse vel nobis inuitis pro dignitate nostra pugnare. non fuit opus; prior enim ille amicus anteuertit, & hominem mendacem induxit, vt commutata voluntate orationem suam retexeret. ita multo honestius silentio res est compressa quam foro. Alius multos iam annos tantum in nos conceperat odium, vt ne nomē quidem nostrum æquis auribus audiret: Immo tā fœda in nostrū ordinem suis sermonibus eructabat, vt ab eorum commemoratione vel aures ipsæ adhorrerent. nostrorum lenitate perfectum est, vt summum illud odium pari nunc amore compenset. Ciuitas nostra est, quod & hominum concursus indicat ad ædem nostrā, & singularis quædam in conferenda stipe benignitas. quæ ipsa multo maior foret, si nostra ipsis perspecta esset inopia. accidit, vt cum maxime laboraretur, mendicandum tota

vrbe nostris fratribus esset; quæ res ab eis eo lætioribus animis excepta est, quò efflagitata vehementius. Sed quod nostris fuit materia virtutis, id ciuitatis in nos animum declarauit. venit enim ad Collegium solicita nobiscum querens, quod nihil sibi ea de re significatum esset: nec ita multo post mittendis muneribus domum cumulate subuenit. eadem ciuium liberalitate nonnullæ in Gymnasio exædificatæ sunt exhedræ. Turris etiam campanis sustinendis erecta; campanæque magni ponderis binæ coemptæ; & id genus alia à benefica ciuitate in nos profecta sunt.

Vercellense Collegium *vt adhuc in suo ortu, non dum suis opibus auctum & confirmatum est. id tamen propediem fore speramus. Cardinalis Vercellensis cum huc venisset, significauit causam aduentus sui eam fuisse præcipuam, vt rem Collegij à se inchoati proueheret. bis ædes inspexit, bis templum: vrbemq. totam ipsemet obijt, vt aptissimum nobis ad ædificandum locum deligeret. in eamq. rem nummum aureorum quatuor millia decreuit. Denique noster est & ad rē nostram gerendam sua sponte propensus.*

MISSIO IN SALVTIOS.

IN *Salutijs noua rerum facies, ex quo in eas oras Societas penetrauit. Catholici nequaquam satis nostros homines laudare possunt, in eoq. maxime gloriātur, quod inter ipsos sit qui desperatis emolumētis & commodis Christum prædicent. Nostrorum aduentus vix dici potest quam debilitarit hæreticos. quanquam*

in his oris ea est eorum pertinacia, vt quodam in oppido pœna capitis sanxerint, ad Catholicos ne quis transeat. admoniti de suo ipsorum interitu, respondẽt siue salus siue interitus eos maneat, sibi esse perinde: persuasissimũ esse viuere in instituto. Tamen & eo ipso in loco vidua quædã ad Catholicos se recepit, & in alio vbi sedes Societas habet, alij decẽ. Apud hæreticos magna erat antea existimatio Caluini: vulgo lectitabatur & terebatur assidue: nunc deniq. refrixit eius studiũ, toties iam eius confutatis erroribus. Quin hęretici ipsi ne suis quidẽ contenti dogmatibus incipiunt tum è suis non nulla explodere, tũ è nostris amplecti nonnulla. ali qui accedere ad sacrificiũ Missæ non dubitãt; alij suos ad Ecclesiã liberos mittunt vt in baptismate renascantur: quod dicant sibi iam liquere sectã suam diuturnã esse non posse. Ac si regiũ aliquid interueniret edictũ nemo non, vt vel ipsi fatẽtur hæretici, fidem Catholicã amplecteretur. quod ipsum iccirco fit verisimile, quod multos qui se errare non nesciunt, confiteri tamen id pudet. huc accedit quod onera quædam a suis imposita tolerare non possunt: & quod caput est sentiũt improbam eorum vitam cum disciplinæ prauitate congruere. Aestas multos in hac loca morbos inuexit. quæ res nostris fuit, dum ægris corporibus animisque subueniunt, seges quædam & materia virtutis. Catholicus vir primarius iam ætate prouectus, nullum admittebat de morte sermonem: cum incidisset in morbum, nostri Patris admonitu præclare se ad omnem euentum comparauit. labes animi confessionis sacramẽto deleuit ac sese Dei permisit arbitrio. duo de præ

cipuis

cipuis hæreticis vt eum ab institutis abducerent inuiserunt: quod ille sentiens nihil ad eorum interrogata salutationesq. respondit; cum tamen catholicos magna hilaritate vultus & sermonis exciperet. itaque ingrauescente morbo sacramentis munitus Ecclesiæ cessit è vita. Cum adhuc viueret eleemosynæ nomine aureos nummos octingentos collocandis in matrimonium virginibus; aliisue subleuãdis egenis dari iussit. Excursum est in finitimos etiam locos, præsertim ad Vallem Mairam magna cum voluptate Catholicorum. mira in his locis à religiosis hominibus solitudo, tum propter regionum asperitatem, tum propter multitudinem & feritatem hæreticorum. vigesimum iam annum Catholici illi concionatorẽ non viderant: maxime autem in nostros homines propendebant. itaque communi etiã hæreticorum consensu, qui alias intercesserant, decreuerunt eum ipsum Sacerdotem, quem proxima hyeme habuerant, Quadragesimæ tempore accersendum: hæreticiq. ipsi litteras Reip. nomine reddiderunt. Concessus est quem petebant exceptusq. maxima omnium gratulatione: auditus vero pari cum Catholicorum tum hæreticorum frequentia. Populi eum vniuersi honoris caussa comitabantur. cumq. aliquando Catholicorum rogatu de sacrificio Missæ concionem habuisset. exultabant postea in hæreticorum conspectu Catholici, illud affirmantes quemadmodum Pater verbis auctoritateq. sacrarum litterarum sanctorumq. Patrum, ita se pro sacrificio Missæ re armisque dimicaturos. nullum vnquam vbi vbi essent interrogandi finem faciebant. Patrem frequenter adibant

ve-

vespertinis præsertim temporibus, cum eoq. quaternas senasue horas excipiendis sacræ scripturæ locis quibus hæreticorum mendacia redarguerent consumebant. Itaque mirum est, quam in his oris exultãs quondam hæreticorum superbia ac contumacia repressa sit. In hac ipsa valle hæretici duodequadraginta Ecclesiæ se subiecerunt, aliįque fere centum, quorum religio nec integra nec constans erat, confirmati in ea sunt, sic vt quiduis potius perpessuros se esse confirment, quam vt abduci se in posterum à falsis doctoribus patiantur. Complures alij communem matrem agnouissent Ecclesiam, nisi Quadragesima ineunte hæreticorum minister sese occulte insinuasset: is dum clandestinis colloquijs ab audiendis Catholicorũ concionibus & à congressu Patris vnumquemque deterret, valde remoratus est rem Catholicam. Id tamen non mediocri fuit adiumento Catholicis; quod is ad disputandum tum publice tum priuatim sæpe lacessitus (spondentibus pro eo etiam hæreticis) disputationis pugnam turpiter abnuit. & est sane mirandum, congressum illi nostrum quantopere fugiant. Quare magna spes est breui complures ex his locis ab hæresum peste liberos fore. Quod vtinam pro sua in Catholicos prouidentia, det Deus.

PRO-

PROVINCIA POLONIAE.



Constat vniuersa Polonia quindecim circiter domicilijs. socij prope trecētis. In Bransbergensi modo quinquaginta, modo septuaginta fuerunt. In Pultouiensi duodetriginta. In Vilnensi sexaginta. In Posnaniensi tres & triginta. Iaroslauij fere triginta. Rigæ sex. Torpati septem. In Lublinensi Collegio tres. Stocholmij totidem. Reliqui in ceteris. Dicarunt se in Societatem quattuor circiter & quadraginta. Octo migrarunt è vita. Quoniam autem ex hac prouincia biennio iam desideratæ sunt litteræ, ita huius anni acta commemorabimus, vt Superioris etiam ratio habeatur.

BRANSBERGENSE, & Pultouiense.

E *Bransbergensi Collegio duo & viginti ad Societatem aggregati sunt. Nouitiorum in primis virtus enituit, qui dum in subleuandis ægrorū miserijs operam suam collocant, miserum quemdam relictum ab omnibus totoque corpore in cœno iacentem sedulo curarunt, nec semel vniuersum suis ipsi manibus eluerunt. quæ res maxime profuit ad exemplum. In Pomeraniæ, & Prussiæ partes itum est, vbi cum bene gesta permulta, tum ad Ecclesiæ gremium reducti complures. Sunt huic adiuncta collegio Seminarium Ponti-*

Hæretici quamquam rari admodum, quæ Dei benignitas est, in hac Poloniæ ora versantur, ex ijs tamē qui sunt, quindecim ad Ecclesiā redierūt. in his octogenarius quidam, alter Sacerdos, qui decimū iam annum hæreticorum minister fuerat, Tertius Anabaptista.

Habita est & vicinorum exterorumque ratio præcipueq. Liuæ; quod oppidum quanquam hæreticis vndique cinctum sit. tamen tanti ad confessionem communionemq. fuere concursus, vt toto Paschatis triduō ne quattuor quidem Sacerdotes, aßidua opera, facerent satis. Catholici autem quamuis cum Anabaptistis sint vbique permisti, & ad nefariam sectam omnibus opibus instigentur, constantißimi tamen reperiuntur: ijq. nostrorum aduētu & mirifice recreati sunt, & in proposito confirmati.

Gymnasium & nobilitate floret & numero. Regis ex fratre nepos Andreas Batorius, is quem supra nominauimus, cum quadriennio amplius operam Gymnasio nostro dedisset; hoc anno euocatus à Rege cum omnes pereleganti oratione publice salutasset, magnō omnium cū mœrore desiderioq. discessit. Ceterorū auditorum pietas cum litterarum studio certat. ex ijs quidā magnis à fratre promißis solicitatus, vt & scholas nostras, & catholicam religionem desereret, chariorem sibi esse salutem animi, quam fratris promissa respondit; quin si ipse in perfidia persisteret, sibi eum fratris numero non futurum. Quoniam autem ex his auditoribus non desunt, qui rei familiaris inopia & tecto careant, & rebus quæ ad vsus vitæ pertinent ne-

cessarijs, nostri eis de habitatione commodãt gratis, & per piorũ hominũ subsidia præsto sunt. Ad Collegij autem amplitudinem, & nostrorum habitandi commoditatem non parua accessio facta est. Templumq. ab auctore & parente collegij multis ante annis inchoatum postea deiectum magnificentius ædificari cœptum est.

VILNENSE.

ADmisit in Sociatatem Vilnense collegium hoc anno tredecim: superiore, tres. quorum pleriq. philosophia & litteris perpoliti sunt. Hæc causa fuit cur Dei matris sodalitas suo sit numero diminuta: inde enim magna ex parte prodiere. quanquam quæ B. Virginis tutela est, in eorum locum suffecti sunt alij viri in primis nobiles, qui pietatis & religionis ardore vniuersis sunt exemplo sodalibus. In Gymnasio conscientiæ casus, explicari nunc primum cœpti sunt, ad eosque tum è nostris, tum ex externis complures accedunt. De Templo hoc vniuerse dici potest, confitentiũ turbæ vix, ac ne vix quidem fieri satis; sæpeq. non nullos confessionis opportunitatem totas hebdomadas aucupari. Sane pernecessaria est in his oris Sociorum opera, nec tam ad expiandos quam ad erudiendos multorum animos; in quibus mira rerum, quæ ad religionem pertinent, ignoratio est. nihil hic de Inferorũ pœnis, nihil de Christianæ vitæ officio cognitum est. Atque hoc in ipsa vrbe. nam pagos vix nota vlla ab ethnicis internoscas; ita sunt crassis circumfusi tenebris. Erat consuetudo quædam Ethnicorum superstitio-

tionibus non absimilis, vt inter Missæ sacrificium pulli gallinacei inijcerentur in templum, quorum volatu existimabant vnius cuiusq. rei exitus declarari. nam si iniectus gallus in sublime volasset, prospera; sin aliter prænunciabat aduersa. Sed hæc superstitio sensim Deo opitulante minuitur, & vt alia multa praue instituta, ita hoc, eodem adiutore Deo, funditus euelletur. A Luthero Caluinoque discessere triginta. A Schismate etiam octo. In his Palatina quædam, quæ quadragesimum iam annum misere iacebat in tenebris. Quidam autem nobilis adolescens adeo pertinaciter hærebat in hæresi, vt Catholicorum vitaret aspectum cumq. morbo oppressus inuiseretur à nostris, ægre eos admisit, veritus ne cum fari cœpissent, mortis eum horrore perfunderent: sed alios est eos ac suspicabatur, expertus; qui non modo ei non fuere terrori, sed fuere solatio. promisitq. Sacerdos noster pro eius incolumitate postridie, quà hora febris accederet, eadem se sacra facturum. Tum ille, si perfeceris inquit, ne crastina febris accedat, Credam sacrificio vestro vim inesse diuinam. sacrificauit pater, nec febris, quæ metuebatur, accessit. Adolescens quamquam sacrificij vim sensit; tamen in sententia perstabat. itaque minatur Pater, fore vt consequenti sacrificio, febris quæ recesserat, reuertatur. ille, ne faciat rogat. sibi certum esse de sententia desistere. itaque recreatus è morbo & catholicæ religioni nomen dedit, & B. Virginis sodalitio. Nobilis femina cum sæpe ante de religione nobiscum egisset, numquam autem vt eam susciperet, induci posset; tandem vnici morte fi-

lÿ perculsa, Dei se punientis dextram agnouit. Vilnā itaque venit, ac de reÿcienda hæresi serio nobiscum egit; sed cum adhuc religionum scrupuli residerent, ac cersito Caluiniano ministro, placuit cum Catholicis disputationem institui. Inita à nostris pugna, vt hæsitantem ministrū mulier aspexit, continuo se Romanæ Ecclesiæ, renitente Senatore quodam, vnde hæresim hauserat, consecrauit.

MISSIO SMODECENSIS.

SEd quæ domi geruntur nihil ad ea, quæ gesta sunt foris. Smodeci superstitiones & errores sublati sunt multi. Larem pagani colebant, quem illi, Dimstipan, nos fumi aut foci dominum appellare possumus. huic par gallorum à vicinis offerebatur. deinde pro cuiusque fortunis epulum inibatur. epularum aliquid relinquere in insequentem diem religioni erat. quin aqua ipsa vnde lances elutæ essent, absumebatur igne. Mortuis epulas anniuersario die pro suis quisque opibus ministrabat. ministrandi is erat ritus: effundebatur aqua sub mensam, cochlearia erigebantur in patinis, cereisq. accensis certis quibusdam verbis mortuum sortilegus compellabat. quibus rite peractis tum demum accumbebatur. cibiq. primum frustulū deÿciebatur in terram. Nec minus illa ridicula: Die Pentecostes frumenti partem singulæ familiæ conferebant, potioneq. è frumento confecta simul conueniebant: cumque vel ariete immolato, vel ad ripas fluminum boue cæso discumberent; sortilegus aut alius quispiā

æta-

ætate prouectior de carnibus prælibabat; ab eoq. omnes tempus & auram commodam precabantur. Quid singula colligam? nulla pene res superstitione vacabat. Si cuipiam filius ægrotaret, is sortilegum accersebat, qui iactis sortibus Deo agnum pro ægrotantis salute litabat. eo cæso parentibus tantum ceterisq. filijs vesci fas erat, relicta pelle sortilego. Si serendum esset, gallus gallinaque sacrificabatur. Si quid in grege suum generosum existeret, id pater familias Deo ad augendũ gregis numerum sacrificabat. De sacrificato præter liberos parentesq. gustabat nemo. Infantes qui sine baptismate decessissent, in sacra tilia reponebantur, quod vulgo dicerent nefas esse huiusmodi puerulos terræ mandari. Mos etiam fuit, vt mulieres sue, diuturno tẽpore, saginata litarent. eamque postea apparatam opipare deuorarent: reliquias vero partim in horreo terræ mandarent, partim sub mola domestica. præficiebatur his sacris sponsa nouella, quæ sacra violantibus Deæ Telluris minitaretur vltionem. Hæc & alia superstitionum genera, quæ missa facimus, paria necessario uitia consequebantur. Ebrietas numerabatur in laudibus. Matrimonia ex raptu virginum inibantur; nec vnã tantum vnus, sed plures ducebat vxores. Nihil de Deo trino vnicoq. nihil de humani generis Redemptione, nihil de animorum immortalitate auditũ erat. Sacramentorum nullus erat vsus: tantum tractabatur aratrum, & omnis eorum cura in occatione & subigendis glebis consumebatur. Quo circa in his excolendis hominibus quantum fuerit insudandum, non est difficile existimare. Deo iuuante perfectum est, vt

quanquam initio nos illi riderent & cachinnis exciperent, postea tamen crebris mansuefacti colloquijs, & nos sæpe audire, & conuenire non dubitarint. Aliud lustratum est oppidum, quod non minus nostrorum operam flagitabat. Parochus ibi cæcus & surdus: templum male materiatum ac ruinosum: aræ altis oppletæ sordibus: mappæ plane detritæ: nullus ibi sacerdotis ornatus, qui quidem sacerdotem deceret: nullus calix nisi è stanno uetustate comsumptus, isq. notatus consecrati vini vestigijs. In oppidanis ingens rerum diuinarum inscitia; mores barbari, ritus ethnici, vt qui Deam Tellurem colerent. Sed diuina ope ita desertis illis animis subuentum est, vt & fidei nostræ mysteria, & alia Christiani hominis officia paucis diebus trecenti & quadraginta didicerint, expiatiq. confeßione sint circiter octingenti. At sanctißimum Christi corpus initio non æque facile communicatum. nã cum ex anniuersaria illa quam diximus superstitione Telluris, reliquias quas Deiues ideſt Deas appellabãt, suis in ædibus asseruarent; enimvero indigna visa res est, vt qui Deorum monimenta retinerent, ijs ad cœlestes epulas pateret aditus. Non est passus sacerdos noster apud eos quos Christi sanguis asperserat tam nefandi vestigia sceleris remanere. Pagos obequitando lustrauit, & ædium angulos perscrutatus, quicquid ex ijs sacris repperit, contriuit, in lutumq. proiecit. denique perfecit, vt multi qui superstitionibus impediti Eucharistiæ participes esse non poterant; iam superstitione deposita compotes fierent, numeratiq. sunt quadringenti circiter & quinquaginta: nec tamen ad

sa-

sacram mensam prius admißi, quam tridui inedia inquinatos superstitionibus animos perpurgassent, cumque aliquando Pater Christi corpus distributurus ad monuisset, videndum esse cuique, ne occultati sceleris conscientia cœlestẽ panem attingeret; confestim vnus in media hominum turba ad pedes comitis patris sese abiecit, clamans magnum se facinus occultasse. Quid multa? eo deducta res est, vt qui ad Christi mensam recusarint accedere, in suspicionem criminis veniant. Quid? quod cum domum nostri redirent, ecce tibi è vicino pago nonnulli vehementer instant, vt ex eo pago mulierem, quæ nec Eucharistiam sumpserat & suis sordibus delectabatur, eijciant. Qui autem superstitionibus erant addicti, ij postea ad Ecclesiæ ritus sic affici cœperunt, vt vno die tria dolia aquæ lustralis exhauserint, cogereturq. Pater magnam aquæ copiã iterum ac sæpius consecrare. Plane agendæ sunt gratiæ Deo, qui pulsis tenebris, veritatis in ea regione lucem paulatim reuocat. In alio item pago, qui è Ruthenis fere constat magna cum vtilitate versati sunt nostri. Sunt enim & Rutheni superstitionibus pleni &. ex his ad alios omnis superstitio manauit. Mortuis epulas præbent: ibus & candelas inter prandendum etiam tum cum maxime lucet, accendunt. Alij ad tumulum deferunt escas easq. relinquunt in vasculis, vt noctu mortuorum animi prodeuntes habeant, quo se se alant. interim ex aduerso præsto sunt Canes & quæ parata sunt deuorant: illi vero confecta putant ab animis. Nostri vt his superstitionibus mederentur sedulo laborarunt, nec omnino nihil profecerunt. duc-

decim enim ad Ecclesiam Catholicam adiunxerunt, & è Catholicis tum ad confessionis tum ad Communionis sacramenta adduxere permultos.

MISSIO AD CAVNENSES & alios.

Itum est cum aliquatum ad Caunẽses Lituaniæ populos. Apud hos Vir nobilis Lutheranorum facile princeps habebat domi ministrum: cumq. à nostris vt sese inuiserent, postulasset, multa apud eum de religione disputata sunt: cum autem rationum momentis facile cederet, conuertitur ad Ministrum tanquam ad perfugium. Minister statim abnuere pugnam, nec vllis persuasionibus induci, vt cum Sacerdote nostro congrederetur. cum eum nostri, vt pro Luthero dimicationem susciperet, hortarentur, ne quam inscitiæ subiret infamiam; ille palam Lutherum se sequi negauit. quæ res patrifamilas ceterisque ad deserendam hæresim nõ mediocri fuit incitamento. In Alba Russia cuiusdam Palatini aula cum semel atque iterum in ea esset de peccatis habita concio, vsque eo nocturnis spectrorum monstris terreri cœpit, vt ij etiam, quibus confitendi consilium non esset, ad confitendum animum adiecerint. Redierunt ad Ecclesiam Rutheni duo Lutherani tres, quorum vnus multos iam annos eam sectam sequebatur; alter autem libros nobis hæreticos tradidit, & Caluini scripta delaturum se dixit. Iisdem in oris vnus duntaxat è nostris duos & sexaginta schismaticos cum Romana

con-

coniunxit Ecclesia. Quadragesimæ vero spatio sexcentos, qui ab incunabulis peccata repeterent, audiuit. Aeger cū per sacrā confessionē nunquā animi maculas eluisset, ac ne posset quidem propter amissam loquendi facultatem; nutibus se confiteri velle significauit. Postridie cum ad eum nostri venissent, illis præsentibus vox redit. itaque peccata confessus perceptisq. Eucharistiæ mysterijs postero die migrauit è vita.

POSTNANIENSE.

ARchiepiscopus Gnesnensis cum primum in Archiepiscopi sedes venisset. Rectorem nostrū qui tum aberat, euocauit; eiq. suum de Societatis collegio deq. Seminario instituendo consilium exposuit. daturum etiam se recepit operam, vt Postnaniēse Collegium inchoatum absolueret, quod consequenti anno perfecit: ad eamq. rē de consilio publico, præter alios pecuniæ cumulos, quattuor nobis villas attribuit: donauitq. bibliothecam suam partim Postnaniensi, partim Calissiensi collegio. atque hoc certis etiam à se ornatum iri reditibus pollicetur. Postnanienses fructus non minus numero quam varietate delectāt. Vna Quadragesima tria millia amplius confitentium præter Gymnasii iuuentutem numerata sunt. Qui autem ætatem omnem per confessionem expiarunt, plus minus fuere trecenti. Reconciliati sunt Ecclesiæ septem & septuaginta in ijsq. nobiles non pauci. Senator contaminatus hæresi præter omnium expectationem magna modestiæ humilitatisq. significatione ad nos venit

nit, cumq. multa de Christiano officio ac moribus contulisset, vix auulsus à nostris, vnum à quo commodius institui posset religionis nostræ dogmatibus, euocauit. Meditationes Societatis traditæ sunt nobilibus viris. in his Abbati Tremesnensi, qui creatus est Vendensis episcopus in Liuonia. is P. Posseuini permotus epistolis, quamuis esset valetudine imbecilla, libenter tamen se patiebatur institui. vtilitas ea fuit vt affirmaret se tum primũ, qualis esset, intellexisse, cũ ad id tẽpus sese penitus ignorasset, sibi profana sordere, spiritales exercitationes demonstrationes dicere, in ijsque ad perfectam virtutem plurimum inesse momenti, cũ que à prouinciali, qui collegiũ inspecturus aduenerat salutaretur, Cæcus, inquit, in has meditationes ingressus sum, videns exeo. Ad Abbatiam quandam missi sunt duo, à quibus cum alia pie christianeq; sunt gesta: tum multa in eius cœnobio, quæ labente disciplina interierant, restituta; præcipue vt sacrorum ritus ceremoniæq; colantur, vt cœnobij leges institutaq. seruentur, & quod caput est vt perfecte religionis vota soluantur. Hæc adeo grata fuerunt Abbati, vt nostris postea perhonorifice gratias egerit, argentumq. non dubitarit offerre. quod tamen funditus repudiatũ est. Apud Calissienses hæc fuere præcipua. duobus fere mensibus confessiones vitæ totius auditæ ducẽtæ, expiatiq. centum, qui diu sordes animi non eluerant. Quidam autẽ, dum adulterij crimẽ occultat, passus est graues dies noctesq. molestias, sed scelere patefacto, cereoq. agno de ceruice suspenso, eas facile dispulit.

IAROSLAVIENSE.

E Ruthenis hæreticisq. Iaroslauij ad Ecclesiã octodecim accesserunt, præter eos, quos nostri in diuersa loca dimissi ad eandem religionẽ adiunxerunt. Sed è nostrorũ profectionibus, ij maxime fructus constãt. Castellana Præmisliensis illustris vidua sanctitatis cũ Ruthenos sibi subiectos ad obedientiam Ecclesiæ Rom. reuocare vellet, a summo Pont. impetrauit, vt per eũ sibi liceret ad Catholicorum vsus Ruthenorũ templa trasferre. Nostros præterea accersijt, conuocatisque Ruthenorum Sacerdotibus, quos Popos appellant, coram multitudine ciuiliq. plebe Ruthenorum errores confutari cœpti sunt. Res ita processit, vt Popi ipsi, qui sex omnino numerantur, fateri cogerentur, apud suum Vuladicam (is inter eos episcopi locum obtinet) non habere se quid ad ea, quæ à nostris obiecta essent, respondere possent. Et quamquam res magnis videbatur non carere difficultatibus; eo tamen deducta est, vt præter alios quosdam hæreticos tres è Ruthenorum synagoga ad verum Religionis cultum traducti sint: tanta cum Catholicorum voluptate fructuq. vt pro gratijs Deo agendis ab vniuersis se vitæ maculis expiarint. Altera fuit in Pocuciam profectio, vnde alias etiam excurrebatur in oras. Colomiæ vero quæ princeps Pocociæ ciuitas est, triduum in audiendis confessionibus, quæ fere omnes, iam inde à vitæ primordijs incohabãtur, consumptum est. inductusq. præcipuæ Curiæ Parochus, vt id munus, cui ipse nõ satis erat idoneus, pio do-

doctoq. Sacerdoti concederet. Nec minorem vtilitatem reditus habuit. Est in Volhinia huius Regni prouincia illustris quidam Ruthenus Ostrogensis dux Palatinusq. Kiouiensis, cuius patrocinio tota Ruthenorũ secta maxime nititur. hic vt vidit ex duobus filijs suis alterum factum esse Catholicum; ne alter fieret, & beneficijs eum sibi deuinxit & iure iurando: vxoremque ei dedit, quæ matrem haberet Ruthenicam. sed vt non est consilium cõtra dominum, hanc Deus filio vxoriq. mentem iniecit, vt matrem coniugis, salutis suæ gratia relinquerent. quod dum secum ipsi meditantur, admonitus noster ille, quẽ in Pocucia versari diximus, ad eos diuertit in reditu, vt quæ Catholicorum partes sunt, docerentur. inde ab eis in Lituaniam deducitur eo consilio, vt & magis confirmarentur in fide, & eorum refellerentur aduersarij. Parens interim Dux Ostrogensis filio vehementer irascitur, neque eum in conspectum suum venire patitur. Vxoris tamen Mater mitiorem se præbet in filiam, etsi nititur illa quidem quantum in se est, vt eam ab institutis abducat. At filia ea religionis fundamẽta iecit, vt multo facilius alios in suam sententiam perducat, quam vt deducatur ipsa de sua.

CLAVDIPOLITANVM

CLaudiopoli quæ duobus annis proximis gesta sunt breuiter perstringemus. Christophorus Batorius Transyluaniæ Princeps pro eà, qua fuit pietate studioque aduersus catholicam religionem, filium

quem

quem habebat vnum, ne hæreticorum educatione deprauaretur, in disciplinam Societati tradidit, inuita coniuge ac reclamante. Idem moriens Sacerdotem nostrum præsto sibi esse voluit, eumq. de diuinis rebus audire loquentem. qua in re maxime enituit charitas & sedulitas patris, qui eius causa toto triduo somnum non vidit. Funus principis in templo nostro curatũ est: noluit enim Rex Catholicus catholici fratris corpus hæreticorum cadaueribus inquinari, quamuis eorum templum & magnificum sit, & sepulturis procerum nobilitatum. Mortem Principis difficillima consecuta sunt tempora, bonis inimica, & religioni maxime aduersa. omnis hæreticorum diu collecta vis tacito cõpressa odio, simul ac temporis oportunitatem nacta est subito in nos erupit. violabatur templi nostri sanctitas & fœdis osibus multoq. lapide complebatur. petebantur fores lapidibus, introeuntes vero conuitijs ac maledictis: optimus quisque ab ingressione templi propulsabatur. Sed nimirum Catholicæ religionis gloriã non modo non imminuit calamitas, verum etiam bonestat. Deductus à Proceribus Princeps puer, is quem nostris traditum in disciplinam diximus, is inquam nostram deductus in ædem, visus est hæreticorum insolentiam paulisper comprimere. Quare mox tempestate sedata a fundamentis restauratum est templum, altaribus exornatum, subsellijs instructum, & contra improborum petulantiam extrinsecus tectum atque munitum. cumq. antea non ita celebraretur à multis postea duplicata celebritas est. Et cum Proceres ægre ferrent, à Societate Principem educari, postea ita eis

pro-

probari educatio pueri cœpta est, vt eius quoque instititutorem suis in rebus ipsi consulerent. Auxit magistri auctoritatem auctoritas Regis, qui Polonos tres nobili genere natos, vt eadem disciplina instituerentur huc misit. ex ijsq. duo cum essent hæretici inuitis parentibus ad Catholicorum numerum accesserunt. Auctus est progrediente tempore condiscipulorum numerus ad octo; qui ipsi, etsi nati & alti erant in hæresi, nunc tamen nostræ Fidei propugnatores acerrimi magnam spem præbent rei Catholicæ adiuuandæ. Iam hæreticorum ad Ecclesiam Catholicam crebra conuersio, quos nec cessat Deus interdum vel miraculis excitare. Energumenæ duæ in tẽplo nostro à malo dæmone liberatæ, integris hæreticorũ familijs magno incitamento fuerunt, vt Ecclesiam Rom. agnoscerent. Energumena præsertim quædam, quæ cum marito Caluinianæ sectæ maxime addicta, cum animaduerteret, nullam sibi opem à suis ministris afferri potuisse, à Catholicis vere potuisse, nullam sibi aliam intellexit colendam esse religionem, præter eam quæ à Romano Pontifice, catholicisq. præscribitur. Hoc eodem anno seminarium Pontificium P. Posseuini opera institutum est, eique mille taleros ac sexcẽtos, hoc est aureos mille trecentos ac sexaginta Pontifex, totidemq. Rex Polonus attribuit.

POLOCENSE.

Polocium ciuitas Rußiæ est finitima Moscis, constatq. fere tota Ruthenis. Hæresibus plena sunt omnia, & tamen permittunt suis famulis domini, si

Catholici sint, suo ut arbitratu viuant. quod dicant Ruthenorum quidem religionem commodā esse, sed famulorum longe optimam. facileq. patiuntur, imo etiam postulant, ut filij sui à nostris & moribus instituantur & litteris. In Anni restituti ratione multū nobis tribuunt: nec dubitant quin Catholici firmissimis nitantur rationibus, idque hoc potissimum argumento sibi persuadent, quod & numero præstant & sapientia, ideoq. Catholicos in ea se malle sequi, quam suos ineptos numeroq. perpaucos. Nec tamen nullus omnino sacramentorum est usus. Nobilis quidam vir ad confitēda peccata venit, qui duodeuiginti annis ante declinarat ad hæresim, in eaque ob eam causam tam pertinaciter se hæsisse dicebat, quod cum sæpius ad confessionem accessisset, operam sibi non dedisset Sacerdos. Ruthena insignis ut confiteretur, Sacerdotem nostrum accersiit, quod negaret velle se sua Popis indicare peccata, quæ illi ira incitati enuntiare non dubitant. Parentes ipsi quamuis à nobis in religione dissentiant, suos tamen liberos in templum nostrum deducunt: fatenturque quantum demum inter sua & nostra sacramenta interiectum sit interuallū, quin eorum quidam affirmasse dicitur, ideo se ad Latinorum templum non libenter accedere, quod dum ibi rebus diuinis interſit, perpetuo lacrimam non contineat. Alius item nobilis vir ab hæresi conuersus ad fidem, cum schismaticam haberet vxorem, vehementer contendit, ut iterum à Sacerdote nostro copularetur. quod cum dissuaderent amici, Non possum, inquit, salua religione, saluo pudore cum hac esse diutius.

tius. quærenti enim ex me ministro an ad nuptias con sentirem, scio me vt sutori vel lanioni cuipiam non vt Dei administro ac diuinarum rerum dispensatori respondisse. Aeger quoque nobilis cum hæresim eiurasset, patriq. nostro confessus esset, non ita multo post è morbo conualuit. is deinde mira se vidisse narrabat, in amplißimo se versari palatio diuersis linguis nationibusq. referto, in eoq. sella posita, iudicem cũ comitatu nobilissimo sessum venisse, statimq. extitisse tumultũ, & quorsũ tã seuerus Iudex pro tribunali sedisset, exclamatũ, responsumq. esse, vt & causam tumultus cognosceret, & qua de re tanta inter se nationũ diuersitas discreparet. cumq. repertũ esset omnẽ discordiã e religionis dissensione profectam, nulla interposita mora alios morti, alios exilio, nonnullos etiam virgis fuisse addictos: cum vero ipsemet æger ante iudicem sisteretur, tum omnes illos capitali sententia damnatos in eum conuersos existimasse multo seuerius punitum iri, quod Iesuitarum dogmatibus adhæsisset. at hoc ipso nomine absolutum à iudice cum honore dimissum.

COLLEGIVM RIGENSE.

NOuum & recens est Rigense collegium, cuius constituendi ratio ea fuit. Rex Poloniæ pace cũ Moscho confecta, ac Liuonia recuperata, cum Rigam quæ Liuoniæ metropolis est peruenisset, nihil prius habuit, quam vt à ciuibus templum quoque B. Iacobo sacrum & Monasterium S. Magdalenæ recuperaret. cumq. alios Sacerdotes Catholicos non haberet, vo-

luit illic vnus e nostris tantisper hæreret, donec litteris ad Generalem datis, plures ad hanc vineã operas euocaret. Scripsit & ad Summum Pont. postulans è Societate quamplurimos. ei tamen duodecim circiter promissi sunt, ijq. è varijs collecti prouincijs die cinerum vna cum Prouinciali Rigam venerunt.

Reliquit hic Prouincialis Sacerdotes quattuor duosque fratres, decimoque post die cum socijs totidem ad alteram quasi Coloniam deducendam Torpatum se contulit. de qua posterius dicemus. Rigæ autem sedulo curatur, vt hæresibus inquinata ciuitas concionũ præsidijs pristino religionis splendori reddatur. officiunt hæreticorum ministri decem, qui quotidianis cõcionum zizanijs, diuini verbi triticum pene suffocant. effectũ tamen aliquid est, & ab hæresibus erepti complures. Sacerdos meditationum nostrarum beneficio cum è medijs stupris atque hæresibus emersisset, & hæresim in templo nostro publice eiurauit, & à mulierum familiaritate discessit. In Ruthenis ea sæpe suppleuimus in baptismate, quæ in huiuscemodi schismaticis desiderari solent: cumque in hac ciuitate sit nemo, qui sacramenta catholico ritu ministret, Parochi munus obeundum nobis fuit baptizandiq. nonnulli. Interdum autem & prodigijs miraculisq. Deus, quantis in erroribus hæretici versentur ostendit. Rigæ Ruthenus quidam cum sæpe admoneretur à catholicis vt cum Romana ecclesia rediret in gratiam, semper autem obsurdesceret, sine pœnitentia decessit. Ex eo die varia in eius ædibus spectra se domesticis offerebant. assidentibus auferebantur mensæ, nemine comparen-

te.cubiculorum fores non modo pessulis, sed etiam sera pensili obfirmatæ totis cardinibus euertebantur. è summis ædibus lapides iaciebantur ingentes, pice fædati, quos se tractasse perhibet Sacerdos è nostris. Quidam autem Polonus, quem Pater idem se vidisse affirmat, adeo grauiter est vulneratus in vertice, vt dies aliquot iacuerit semiuiuus. in eadem domo cum multum straminis esset, id totum in minutißimas partes comminutum est. denique hæc & id genus alia cernebantur plena terroris, quæ non obscure quantum sibi ius in ijs ædibus sumpsisset Sathanas indicabāt. ingressus in eas is, quem dixi Sacerdos cum comite altero, aqua benedicta thureq. adhibitis, expiauit. quo exorcismo omnis tumultus dæmonum conquieuit, id quod multis deinde gratijs ædium domini testati sunt. Obita sunt de more finitima loca, quæ quantis ad christiane viuendum sint destituta præsidijs, vix credibile, nisi perspexeris, videatur. Cum B. Magdalenæ Monasterium, de quo supra diximus multos habeat sibi subiectos pagos, faciendum sibi nostri putarunt, quoniam eius loci cura ad eos pertinet, vt acceptis à Monasterio litteris, quæ procurationis sibi traditæ fidem facerent, eos pagos, qui septem numerantur, obirent. tanta est autem in ijs religionis inscitia, vt in vno pago, qui precationis dominicæ formulam teneret, duntaxat vnus; qui vero crucis imprimēdæ sibi rationē, iuuentus sit nemo. in alio vero pago tanta item rerum diuinarum ignoratio, tanta vero ingeniorum tarditas atque hebetudo, vix vt aliquid summo labore studioque percipiant. Lothaui finitimi populi Parocho de

stu-

ſtituti paſtorem aliquem requirebant: cumq. illis concionator accerſiretur hæreticus; noſtri vt tanto incommodo obuiam irent, eius Eccleſiæ procurationẽ dum aliquem reperiant idoneum, ſibi depoſcũt. quod cum à Gubernatore Epiſcopoq. impetratum eſſet; vix eo Sacerdos noſter peruenerat, cum illuc extẽplo Lutheranus miniſter aduolat. Noſtrum autem quid illic rerũ ageret percunctanti, nihil eſt, inquit noſter, quod tibi indicem: hoc tantum dico me, & Catholicum Sacerdotem eſſe, & Gubernatoris iuſſu, vt ſacrificem & concioner, huc miſſum. Tum ille fruſtra igitur hic ego. expeditoq. curru celeriter auolauit. Hæc ſunt huius anni præcipua. vt autem pollicentur initia ſpes eſt fore, vt Liuonia intelligat vniuerſa, quam ſalutaris fuerit Societatis aduẽtus: hoc præſertim Epiſcopo & Gubernatore, quo vtimur ſane propitio. eſt autem idẽ Epiſcopus, idem Gubernator Georgius Radziuilus, is quem poſtea ſua virtus in Cardinalium collegium cooptauit. qui quam bene de nobis meritus ſit longum eſſet hiſce litteris perſequi. Voluit tota ſpectante ciuitate (id quod ante annum quinquageſimum nemo fortaſſe fecerat) ſacros ordines in æde noſtra ſuſcipere ante vero quam ſuas Deo primitias offerret, ab adminiſtratione ſe pauliſper abducens, in noſtras ædes ad excolendum noſtris meditationibus animum ſeſe abdidit. Dies autem, quo primum operatus eſt ſacris, totus eſt nobiſcum traductus. Biduo triduoue poſt graui magiſtratus edicto cauit, ne quis vel nobis vel noſtris moleſtiæ aliquid exiberet. id edictum & pro templi curiæq. foribus propoſitũ eſt, & à cõcionatoribus pro

mulgatum; acciditq. periucunde, vt tum mitteretur ad suggestum, cum forte quidam tota concione debacchatus esset in nos: itaque vno eodemque tempore calidum vomuit & frigidum bonus videlicet minister. Alius vero concionator hæreticus cum audacius in nostrum ordinem inuectus esset, statim mandauit Episcopus, vt vel corrigeretur à Senatu, vel ante suum Tribunal sisteretur: cobibitaq. hominis insolentia ceteris obtrectatoribus silentium indixit. Quare nemo iam in Catholicos inuehi audet. Sed non id agimus, vt huius Episcopi virtutē, cui nulla par oratio reperiri potest, ornemus. satis est hoc dixisse nec Liuoniam tueri partem vllam catholicæ religionis, nec Societatem nostram sese tutari ab improborum incursibus sine eius ope præsidioq. potuisse. Nos enim premimur aduersarijs, & vt pauca de multis attingam, quæ inuidiæ causa de nobis illi confingunt, fœda cantica in nos componunt, dentatisq. chartis in publicum propositis mordent: quibus non aliter respondetur, nisi æquitate animi ac patientia. E pagis Leonardus Rubenus is quem supra significaui, redibat, cum ecce tibi ad Cœmiterij templiq. valuas pagella maledica, cum hac inscriptione, Lungenbardo mentienti. eademq. scheda ijsdē referta maledictis affixa erat pro foribus ædium: quā quidem non est passus Pater vllo modo refigi: nam alteram ad templi cœmiterium boni refixerant: nec aliter frangendos putauit improborum impetus nisi silentio & tolerantia. ea res magis auctores sceleris irritauit, qui dedecori se fore arbitrati sunt, cui fuerunt honori. ciues enim multi cum infamem schedulam lectitas-

stitassent, in eaq. patris nomē corruptū animaduerterent, Pater inquiunt Leonardus Leonardus erit inuitis improbis & maledicis; illi vero semper sui similes nebulones. Itaque victi illi confusiq. pudore nocte intempesta suis ipsi manibus sua maledicta rescindunt. cumq. in cubiculo Pater quiesceret, illi de publica via cubiculi fenestris effractis lapideos ad deuorandum panes offerebant. ter eadem nocte coniectu lapidum fregere fenestras. qua re commotus Senatus publicis ante curiam schedulis ei, qui auctores indicasset, plurimum spopondit argenti. Pater pro concione dixit, nostros quidem vt lapidibus peterentur commeruisse, quia nequaquam satis essent populum ad pœnitentiā suis concionibus cohortati: fieri tamen ipsis iniuriam quod non eo nomine peterentur: valuas autem templorum ac fenestras priuatarum ædium nihil tale cōmeruisse: se paratos mori, se nullo nisi aut sūmi Pont. aut Regis imperio ciuitate cessuros. Senatus non destitit in auctores inquirere, coniectiq. sunt nonnulli in carcerem, qui tamen nostris deprecantibus, quoniam se abesse pernegabant à crimine, educti sunt. Nobis itaque gratiæ sunt agendæ Deo, qui vt amicos nos interdum exercet, nec patitur sine laborum difficultate præclaras res gerere, quo maiore postea mercede compenset.

TORPATENSE DOMICILIVM.

TOrpatum vrbs est in extrema fere Liuonia, Rigæ amplitudine par, loco plano, & aperto, Suecis

Moscisq. finitima. Ea postquam ad nefaria Lutheranorum dogmata ab auita religione defecit, non sine diuino consilio sæpe calamitates experta, sæpe bello vastata, dum ad extremum salutis anno 1557. in deditionem à Moscho redacta est. Sed vbi eam Poloniæ Rex Stephanus anno 1581. cum maiore Liuoniæ parte recuperasset, nihil habuit antiquius, quam vt eam ad fidem Catholicam reuocaret. ad eam rem de Societate complures à Summo Pont. & P. Generali vti supra significauimus petiјt, non tamen plures duodecim impetrauit; qui ipsi in duas quasi diuisi colonias, eiusdem rogatu Regis, partim Rigæ, partim Torpati morantur. Torpatum autem Sacerdotes quinque fratresq. duo à Prouinciali deducti sunt decimoquarto, Kal. Apr. Eorum aduentum grauiter tulerunt hæretici, ac pro concione Lutheranus quidam, cum promiscue inter auditores, nostri laterent, Iesuitas miris modis depinxit, spurios aiebat in vrbem aduectos, scortatores, dignos omni cõtumelia, homines denique, qui matrimonia instituta diuinitus, prohiberent. Prouincialis non minus de Societatis fama, quam de animorum salute solicitus, rem ad Polonos gubernatores defert; nec ita multo post adducitur ad nos reconciliandi causa Lutheranus ille minister. cui Prouincialis mira quadam dexteritate quæcumque in nos vomuisset, obiecit. Negauit ille ea de nobis à se dicta esse, sed alios se ijs verbis voluisse describere. Pater hominem benigne admonitũ eo deduxit, vt quoniam hominibus à Rege missis inferre conatus esset infamiam, ea quæ proxime in nos dixisset, consequenti concione

re-

retexeret. fecit, & accurate fecit, vt plane ea nobis contumelia emenda fuisse videretur. Redditum est postea regiæ Maiestatis œconomo diploma regium quo rex templum nobis decernebat & ædes: ille vero tum benigne nos excepit vt solet, tum omnia nobis templa patefieri iußit, vt quod commodißimum nostris rationibus foret, eligeremus. Delectum est templum B. Catharinæ sacrum, cui amplum adiunctum est Monasterium, quod septuaginta olim feminarum fuisse dicitur; atque ob eam causam nostris rationibus muneribusq. percommodum. Eum locum cum suo concionatore Estones occupabant. sunt autem Estones rustici paganiq. qui lingua vtuntur Estonica: quibus visum est sine dubitatione grauißimum è suis sedibus pelli. Ergo ad Senatum continuo querelæ. Prouincialis habito ad Senatum colloquio docet non esse, quod quisquam nostris iure succenseat, cum quod daretur acciperent. Interim Regiæ Maiestatis œconomus per internuncium mandat, ne quid nostris exhiberetur in ea re negotij, quibus templum esset Regio iussu decretum, eaque ratione dirempta lis est. Sed quanquam locus vt dixi satis est ille quidem ad vitæ nostræ rationes accomodatus; non defuit tamen virtutis exercendæ materia: nam non modo lectis, stragulis, mappis, mensis, omni denique domestica suppellectili carendum fuit; sed artificibus quoque ipsis & materia vnde illa confici possent. Itaque illud restabat vnum, vt sua quisque vita commodisq. contemptis, totus animorum saluti commodisq. seruiret. Quattuor autem videtur Deus So-

cietati nostræ genera hominum commisisse. Germanos Polonos, Estonas, & Moschos siue Ruthenos, quorum sua quisque vtitur lingua, Germana ciuis, Polonica miles, Rusticus Estonica, Moschouitica seu Ruthenica Moschus. Germani, cum lutherani sint omnes partim inscitia quadam, partim hominum metu abducti, à nostro templo congressuq. refugiunt. Estones licet in tanta rerum vicissitudine integræ religionis semina retinuerint; tamen & linguæ ignoratione & interpretum idoneorum penuria iuuari non possunt. Concurrunt illi quidem ad nos quasi impulsi diuinitus, etiam eorũ prohibente ministro, quem de Lutheri schola esse diximus; sed nimirum quod à nobis datur accipiunt. Deferunt ad baptizandum infantes, baptizatique sunt multi, & more maiorum Apostolum aliquem sibi dari volunt, quem patroni numero colant. Sal, candelas, pomaque recentia, prout anni tempus tulit, ad nos afferunt, eisq. vt benedicatur efflagitant. Nam quantum his benedictionibus tribuant vix credi potest. & merito. nam vel aqua ipsa cui nostri rite benedixerint, miracula nonnumquam edidit & prodigia; vt iam vulgo hæc de nostris fama peruaserit, eis à Deo vim tributam esse, curandi, quanquam id ipsum aliter interpretantur hæretici, qui magicis artificijs adscribunt omnia. Mulier cantionibus prope & veneficijs enecta, aquam benedictam cum perpotasset, multum virus euomuit. Alius eiusdem aspersione aquæ, tum etiam cereis diuini agni simulacris fœda spectra à sese repulit. ijsdemq. curationibus comitiali morbo liberatus est puer. Rusticus octauum

iam annum cum mouere se loco non posset, eadẽ aqua ad eum missa (aberat enim à nostris multa millia passuum) postridie suis pedibus, vt pro incolumitate sua gratias ageret, eo contendit. Quidam vero cum & multos in itinere amisisset equos, & ille ipse in quo sedebat grauiter ægrotaret, hac ipsa aqua a nostris accepta, & sibi medicinam fecit & equo. Erant & lacus aliqui spectris infesti, quos vt quietos accolæ redderẽt in eos vel pecudes iaciebant, vel sanguinem fundebant humanũ. nostri, hac superstitione damnata, lacus illos lustrali aqua perspergunt, & Christi crucem prope defigunt. ita omnis sedatus est terror: omnia depulsa sunt spectra. Germani quoniam ex ea natione de Societate sunt quattuor, & priuatis sermonibus adiuuantur, & publicis. quanquam ad conciones ob eam quam dixi causam ventitãt rari. Polonica concio frequentior. eaq. festis diebus horis matutinis ac pomeridianis habetur. ita effectum est vt Poloni multi, non nulliq. etiã Estones communicarint. Quod ad Gymnasium pertinet, quoniam nunc primum patefactum est, auditores numerat fere triginta, & quamquam plerique Germani liberos suos, ne Catholici fiant, mittere verentur ad nos; tres tamen ex ijs missi sunt: reliqui, Poloni omnes: in ijsque nobiles ac primarij. Hactenus de rebus vrbanis. nunc tantisper ex vrbe migrandum. Duo Sacerdotes assidue animarum causa peregrinantur, eorumq. opera multa præclare constituta sunt. Præfectus quidam arcis omnes amicas militum abegit ex arce. Duo item ab hæresi, quinque autem à schismate reuocati. Nec tantum cum dominis aut militibus actum

sed etiam cum Estonibus rusticis, qui partim ad ipsas pertinent arces, partim itineri occurrebant. Missæ sacrum vel sub dio cum vmbraculis, vel domesticos intra parietes (deerant enim templa) celebrabatur. idq. eo maiore gratulatione, quo longiore interuallo peractum non erat. Infantes expiati baptismate tam in æde nostra, quam in villis circiter mille. Vno die vnus è nostris centum & sexaginta lustrauit. Sed quod maxime admiratione dignum est; cum tam multæ tamq. desertæ regiones obirentur à nostris, nullo vnquam dicuntur eguisse viatico, tum quia arcium domini ijs, qui suo parent imperio, dederant in mandatis, nostros vt honorifice humaniterq. tractarent; tum quia rustici ipsi beneficij loco numerant, si apud ipsos vel ad horam nostri diuertant. Vbi autem nostros quopiam concessisse compererint, eo subinde quamuis longe positi ipsi conuolant, vt vel ritu Catholico baptizent infantes, vel cæremonias in baptismo præteritas suppleant, vel denique Apostolos de more distribuant. neminem enim apud se patiuntur, quacumque sit ætate vel sexu, quin Apostolum à nobis aliquem patroni loco suscipiat. quem morem traditum à maioribus cum ministri Lutherani contemnant, facile deseruntur.

COLLEGIVM LVBLINENSE & Nesuisiense.

LVblinense vero Collegium nuper est à duobus nobilibus viris, & primaria femina inchoatum, maximoq. tum populi tum Senatus gratulatione Augu-

sto mense superioris anni recepti sunt nostri. Aedes à Palatino Cracouiensi tributæ, ad easq. resarciēdas argentum. Nec vero Regis desiderata liberalitas est. nam & ad fabricam multum nobis decreuit æris, & ædificium ipsum vltra mœnia produci facile passus est. fauet etiam in ea re senatus. isque tum aream quandam Collegio obtulit, tum suum in rebus omnibus patrocinium pollicetur. Dum res constituuntur, in alienis templis conciones habentur, & quidem non sine concursu hominum ac frequentia: pomeridianis autem temporibus explanatur rudibus catechismus contra Ebionitarum, qui in eodem loco grassantur, insanias. Nec vero tam exiguo tempore exigui percepti sunt fructus. Virgo in primis nobilis supremi senatoris neptis in Regno Poloniæ ab hæresi Caluiniana, in qua nata & educata erat, ad Ecclesiam Catholicam traducta est. Alius vir item nobilis honestissima familia iā septuagenarius, cum trigesimum in hæresi vixisset annum, vrgente morbo priusquam decederet, ad ouile Christi reuertit. Alij viri feminæq. complures ex honestis orti familijs ad eandem redierunt ecclesiam. Sed vnius reditus in primis illustris. Hic medicinæ laude præstans, nobilitate pari iam inde ab incunabulis quadragesimum annum versabatur in hæresi. Itaque inter præcipuos numerabatur Anabaptistas, & vt plurimum ab eorum synagoga ad disputandum cum Catholicis mittebatur. placuit summæ Dei bonitati, vt qui tam diu iacebat in tenebris, lucem veritatis aspiceret. Igitur in æde frequenti cum campanarum atque organorum cantu, psallente clero canticum Augusti-

ni, in

ni, in sinu nostro magna cum Catholicorum voluptate hæresim eiurauit. mox Vilnam profectus, Meditationibus Societatis imbutus librum contra Anabaptistarum atque Ebionitarum synagogas edidit, vbi dum suæ ad Ecclesiam conuersionis rationes colligit, valde scilicet cruentat hæreticos. Principē etiam Lublinensis synagogæ doctorem ad disputationem prouocauit. Sed egregius doctor forsitan non ignarus, quantas vires veritas habeat, pugnam disputationemq. defugit. Hæc sunt Collegij Lublinensis initia, quæ si pares, vt speramus, habebunt exitus, tum demum Societati nostræ operis fructus extabit.

Niesuisium anno superiore tertio Kal. sept. nostri venerunt. qua in vrbe cum pene nulli colerent templū & sacramentis animos expiarent, tam multi sensim ventitare cœperunt, & animorum sumere medicinas, vt eos iam ædes ipsa vix capiat. Ab hæresi sunt absoluti viginti, à schismate supra triginta. nec minor è vicinis oppidis fructus allatus. Nouogrodecum vrbs est Albæ Russiæ præcipua, in ea perpauci catholici sunt. cumque ibi schismaticorum templa sint septem, Catholicorum duntaxat est vnum. quod ipsum decimum iam annum certum Sacerdotem non habet. nam Parochus Lutheranus factus modo templi commodis & reditibus gaūdeat, de templo ipso non multum laborat. Si quem Sacerdotem Catholicum nactus est minimo contentum stipendio, huic sane delegat templi curam; sin minus, templum relinquit inane & à Sacerdotibus spoliatum. Huc profecti sunt nostri, vt eos Catholicos confirmarent. nec inanis fuit illa profectio.

Die

Die qui Christi corpori festus est. Zuuingliani complures suo cum ministro ad concionem nostram venerunt. sed bonus ille vir dominico, qui consecutus est die, duas amplius horas auditores suos, ne per tempus ad nos liceret, remoratus est. nec tamen defuerunt ex eo ipso numero, qui venirent. Duo præterea sese nobis è schismaticis adiunxerunt, aliaque huiusmodi in rem Catholicorum facta sunt.

MISSIO SVETICA.

STocholmiũ vrbs est in Suetia, Suetici regni sedes, ac domicilium, cuius Regina cum esset Catholica & aliquos de Societate vehementer expeteret, interposita sororis auctoritate (ea est Poloniæ Regina) quattuor circiter impetrauit. In ea regione septenniũ se sociorum labor exercuit. verũ dum in eo toti sunt, vt rem Catholicam proueheant, tam pijs conatibus grauis quædam est aduersata tempestas. Nam Regina mortua, qua catholici nitebantur, hæreticorum continuo in nos erupit inuidia; vt difficile iam sit, nisi cœleste numen adsit, tam preclarum munus insistere. Obijt Regina xvi. Kal. Octob. cuius singularis virtus, quoniã ea orbis videbatur indignus, citius etiam euolauit in cœlum, quam res catholica pateretur: fuit ea femina propagandæ Catholicæ religionis admodum studiosa neč quisquam dubitat, quin ea superstite, magna incrementa Religio ipsa cœpisset. Tolerantia & patientia, cuius & plurima documenta dedit & diuturna, fuit insignis. immiserat ei Dominus ante septennium acerbissi-


bißimos articulorum dolores, quos illa in beneficij loco numerans ita ferebat, vt ad maiores etiam compararet animum cruciatus. Hominum congressus consuetudinesq. vitabat, speciosos titulos aliaq. honoris vocabula, quæ cæteri tam studiose colligunt, respuebat. Laudes non minus illa ferebat grauiter, quam ceteri contumelias, eosq. qui se collaudassent admonebat, eas partes diuino iudici reseruandas, qui intima pectoris acutißime perspicit. Cum iam supremum tempus adesset, seseq. contra humani generis hostem Ecclesiæ sacramẽtis armasset, multis cum lacrymis queri cœpit, quod nequaquam satis, diuinæ gratiæ muneribus respondisset; nec verita est Regina veniam ab ijs qui aderant, si qua in re quenquam offenderat postulare. Sacerdos noster apud eam sedulus fuit. nec enim eum ea patiebatur abesse, quem de rebus audire diuinis, præcipueq. de patientiæ bono perpetuo voluit. Hic fuit Reginæ exitus & potißimus fructus Sueticæ profectionis. Ex oculis sublata Regina tum demum hæreticorũ vt dixi erupit improbitas: Præcipuus in aula Senator minitatus est, Iesuitas omnes naui impositos, se procul amandaturum, effecturumq. cum alijs, vt Papatus apud Suecos ne vestigium quidem vllum remaneret. Alius qui apud ipsos pro Episcopo est, testabatur se suo muneri renunciaturum, si quempiam è Societate docentem vel in Scholis deprehenderet vel in templis. Sed is, quamquam tum quidem ab auditoribus collaudatus est, mox tamen diuino consilio exerceri à malo Dæmone cœpit. Mitto quam tetre hæretici illi in Pontificem maximum debacchentur. quidã

pro

pro concione clamabat qui hoc tempore inter Christi fideles numerari vellet, dubitare eũ nõ oportere, quin Romanus Pontifex perditionis sit filius, cumq. in Põtificem impudentius inueheretur, desinere à Rege iussus confestim de suggestu abreptus est in custodiam. Filia tamen Regis suæ parentis dissimillima ab hæreticorum ministris in fraudem inducta liberum dimittendum curauit. Solatur nos dissimile fratris ingenium qui nouissima matris monita memoria tenens Catholicam religionem tuetur in primis, spopon ditq. præsentibus arbitris in proposito se mansurum: cumq. Iubileũ à summo Pontifice indictum esset, in eo suscipiendo nõ dubitauit se Catholicum profiteri, expiatisq. confessione peccatis sacratissimum Christi corpus multitudine inspectante percipere. insigne profecto facinus tanto ceteris admirabilius, quãto illustrius & in omnium oculis conspectuq. perfectum. Soror obstrepit, sed eã ne responso quidem dignam iudicat frater. Illud omnino est in adolescente mirabile, quod cum magistro antea sit vsus hæretico ad audendum proiecto & ad iaciendas in Catholicos contumelias prompto; nihil tamen æque ac mores huiuscemodi detestatur: maximũ incommodum, eum viris bonis egere, abundare malis. Is cum ad diuina prodit officia, pene solus egreditur, vix quisquam eum sequitur præter vnum aut alterũ puerum; cum tamen sororem suam ad synagogas hæreticorum prodeuntem magno ancillarum puerorumque grege comitatam animaduertat, acre ad deserendam religionem incitamentum: nisi Dei beneficio bonus adolescens iam pridem ista rideret. actum est cũ

illo

illo tum de ritu ſacrorum, tũ de miniſtris; conſiliumq. datum, vt ſacerdotes aliquos Suecos mature aduocet, ne, ſi reuertendum nobis ſit in Poloniam, omni præſidio penitus careat; interim noſtris illum concionibus ac ſermonibus diſtinemus. Hæc in aula. In ciuitate ſpes eſt fore vt Sacerdotes (ſi qui hic poſtea futuri ſunt orthodoxi) laxius domicilium in poſterum habeant. Quanquam Princeps & ſi noſtræ cauſæ vnus omnium maxime fauet, ſubuereri tamen videbatur, ne ea poſsit ipſe perficere, quæ pia mater animo conſtituerat; idq. propter aliquorum ſenatorum temulentiam & turbulentas factiones. Tota res pendet à Belga quodam mercatore regio, qui domum, quam ſibi ipſe ædificabat, vna cum ſumptu operiſq. nobis nec opinantibus obtulit; curaturumq. ſe recepit, vt puſilli Collegij inſtar ædificetur. Ceterum ad Eccleſiam ſunt adducti nonnulli. in his vnus animi tumore & inſolentia, inter ſuos facile princeps, qui cum militiam exerceret, nihil ſe Deo gratius facere exiſtimabat, quã ſi quotidie quam plurimos Papiſtas (ſic enim loquuntur apoſtatæ) trucidaret. Is igitur abiecta hæreſi tantaq. imimpietate, vt ad Catholicorũ partes ſeſe adiunxit ex immanitate illa & feritate extitit repente mitiſsimus.



PRO-

PROVINCIA AVSTRIAE.



Egunt in quinque Austriæ Collegijs socij ducenti circiter & quattuordecim. In Viennensi Collegio sex & quinquaginta. In Pragensi nouem & triginta: In Olumucensi quattuor & quadraginta. In Græcensi sex circiter & triginta. Brunæ vnde quadraginta. Ad Societatem accessere triginta. Decessere duo.

COLLEGIVM VIENNENSE.

F*Vit hic Viennæ annus pestilentia fœdus, sed quæ diuina prouidentia fuit, quamquam Gymnasio nō nihil attulit cladis, è socijs tamen neminem abstulit. Vigent in templo religionis studia. Vno Paschatis tēpore quattuor amplius hominum millia ad mysteriorum communionem accesserunt. E varijs hæresibus quattuor & septuaginta ad catholicos transierunt. in his vnus qui apud Lutheranos viginti annos concionatoris partes egerat, familiaq. præterea integra, cuius paterfamilias diu se Catholicum simulauerat. Gratiarum reconciliationes tum inter coniuges & propinquos, tum inter alienos multæ sunt factæ, quæ quoniā nihil præcipui continent, attingendæ potius quam commemorandæ fuerunt. sed in nonnullis, & si res ipsa vulgaris, ratio tamen reconciliandi non omnino vulgaris: duo cum mutuis inter se inimicitijs odijsq. fla-*

grarent; nec vllius auctoritate ad lenitatem pacemq. traduci possent; Sacerdos è Societate rem tentans bis alterum verbis aggressus est. Quid si Christus, qui vt ab æternis te vindicaret incendijs, acerbissime in cruce necari non recusauit, si is inquam, vt huic ignosceres à te peteret supplex, tu ne quo minus ignosceres, recusares? Hic ille quasi hæsitans cum subsisteret, Pater prouolutus ad genua, Atqui ego, inquit, Christi nomine vt huic veniam des, supplex oro. hoc ille facto vsque eo emollitus est, vt ad omnia quæ pater iuberet paratissimum se esse diceret. ita positis vtrinque armis firmata pax est. Sed non minus in iuuandis animis, quos in fraudem humani generis hostis inducit, quam in corporibus, quæ ille sæpe exagitat laborãdum fuit. Quo de genere illud accidit non minus auditu horrendum, quam visũ. Nam Dæmonũ duodecim millia sexcenti ac quinquaginta ex infirmissimo puellæ corpore pulsi sunt. Atque vt paulo altius tota res repetatur. In pago quod Vienna distat passuum millibus octo, Virgo erat Anna nomine, hæretica illa quidem, & ab hæreticis alta parentibus, sed tamen simplex & recta & suorũ imperio valde obsequẽs. Huic auia venefica erat, quæ se malo Dæmoni multis iam annis ante deuouerat. hæc neptem suam Annam vt adoleuit, eidem humani generis hosti pro veteri sua coniunctione despondit. Eo non contenta, poma ad aspectum pulchra, plena tamen cantionibus ac veneficijs puellæ offert, simulque astanti cuidam, vt fidem daret (dæmon is erat) hortatur; cum illa initio recusaret, diris eam verberibus ad id cõpulit. Haustis ijs, quas dixi rebus, vniuersum

puellæ corpus intumuit. hinc vehemens orta suspicio puellã dæmonis obsidione teneri; id quod postea declarauit euẽtus. distorquebat dæmon ora puellæ, oculorũ inuertebat aspectum, cumq. aqua benedicta oris tumoribus aspergeretur, in alias partes corporis emigrabat. cum caput occupauerat, lumen rationis sic obscurabat, vt ea redderetur insana; cum in oculis sedem ceperat, nouo illi fulgore lucis ardebant; vbi os & labra obsederant, nigræ aut rubicundæ fabæ instar apparebant. Venitur ad fugandos dæmones, venitur ad exorcismos: qui cum initio nihil proficerẽt, permotus parentis precibus Imperator filiam Viennam iubet adduci, Episcopiq. curæ committi. Episcopus cum litteris Imperatorijs ad Collegij Rectorẽ venit, egitq. non modo precibus verum ẽtiam imperio, vt id oneris nostri susciperent: felicem enim rei exitum se sperare. nostri & si ægre admodum rem tantam suis humeris imparem susceperunt; Episcopi tamen precibus auctoritateq. compulsi. xv. Kal. Iulij ad expiandum spiritus sancti templum aggrediuntur. Initio cum paucis acta res est. placuit postea diuinæ sapientiæ, vt ad aures oculosq. multitudinis perueniret. nam dæmonum vlulatibus & inconditis vocibus, quibus modo porcorum grunnitus, modo ranarum coaxationes, modo vitulorum boatus, modo alias aliarum bestiarum voces imitabantur, est factum, vt res diutius latere non posset. itaque tantus fuit repente concursus, quantus ad celeberrima quæque spectacula, vt necesse fuerit sacelli fores ad arcẽdam vim multitudinis obsidere. Hic cum dæmonum turba confligitur, hic ad infirmandas

callidi hostis vires Christi cruce, alijsq. Ecclesiæ Catholicæ armis incumbitur. Inuidus hostis abstinere maledictis non poterat, ac præter cetera maledicta, quibus nostros homines onerabat, eos murium capita & nigros arietes appellabat, querebaturq. quod vbi vbi nostri essent, suis conatibus artibusq. resisterent, ideoque nihil sibi fore gratius, quã si Iesuitas omnes, quotquot terrarum orbe dispersi sunt, ex vno patibulo pendentes aspiceret. Iubebatur crucẽ osculari puella, frementibus hostibus atque horrendum in modum rugiẽtibus. ea ratione fugabantur quotidie multi; vt certis signis coactus exorcismis diabolus indicabat. Interim Auia in vrbem aducta atque in custodiam inclusa, suis noctu carminibus alios in puellam dæmones putabatur immittere; obijciebat enim sese ei per tenebras: interdumq. auis quædam teterrima in eius cubiculo exaudita est alarum plausu lucernæ lumen extinguere. Sed cum diem nullum cessaretur ab exorcismis semperq. plurimi vt dixi spiritus abigerẽtur; tandẽ vi diuinorũ verborũ coactus malus dæmon, quot adhuc in eo corpore reliqui essent, indicare; duos tãtũ superesse dixit. Magna erat omniũ hominum expectatio, quorsum res euaderet, hæreticorum præsertim, qui, si res aliter ac cecidit, cecidisset, hoc vno contenti fore videbantur vt de catholicis triumpharent. Nostri tamen nec ieiunijs nec precibus cessarunt vnquam ab eo implorare opem, qui quemadmodum id genus dæmonum eijciatur, ostendit. Pridie itaque eius diei, qui assumptæ in cælum Deiparæ festus est, post horrendos clamores & horribiles eiulatus, tandem dux ipse legionis excessit:

sit: puellamq. ita reliquit afflictam atque exanimatā, vulgo vt mortua putaretur. iacuit enim vitæ vsibus destituta horas circiter quattuor. consequenti vero nocte recreata, postridie, qui dies fuit B. Mariæ sacer, à suis expiata peccatis, ab Episcopo Viennensi, qui in æde nostra vniuerso populo rem omnem exposuit, Christi corpus accepit. Narrauit postea puella pulcherrimum se uidisse virum nouo quodam splendore lucis amictum, se se bono animo esse iubentem, fore enim vt mox se ab omnium obsidione hostium liberaret. Quare postea reuocatis pristinis viribus, tum vota quædam Dei matri pro sua liberatione persoluit, tum Deo dicatis virginibus se adiunxit. Dum manifestus hostis imbecillo fugatur è corpore, ille ipse obscurus atque ignotus oculis corporis ex animorum sedibus pulsus est. Vir quidam honestus cum exorcismis interesset, dæmones inusitatis quibusdam mugitibus exsulantes, hominem in occipitio leuiter verberarūt. exterritus ille, ac ne quis se dæmon inuaderet pertimescens; confestim in ædem nostram ad confitenda peccata se proripit: deinde biduo triduoue sumpto ad recolenda peccata vitæ superioris, ea omnia diligenter exposuit. Alius eodem modo ferebatur faciem leniter tactus à stupris flagitÿsque destitisse. denique vt paucis multa complectar; ea res vna, vt multis fuit occasio Catholicis bene Christianeq. viuendi, ita non paucos permouit hæreticos, vt de alia vitæ ratione, aliaq. amplectenda religione sedulo cogitarint. Puellæ Auia totius fons sceleris & origo, quanquam Diaboli erat illa quidem, & peccati iure, & sponsione vo-

ti mancipium, tamen quæ infinita Dei bonitas eſt in extrema ſenectute reſipuit, & dæmoni nuncio hæreſiq. remiſſo, atrox ignis ſupplicium æquo & conſtanti animo tolerauit. Antequam ad ſupplicium raperetur, quo tempore noſtri de dæmonis reſcindenda pactione deq. mutatione religionis agebant; grauiter cum ea conqueſtus eſt Dæmon, quod eius cauſa exorciſmis miſere torqueretur; poſtea etiam tam dire in eam verberibus plagiſque deſæuijt, vt vibicibus foedata facies miſerationem ſpectantibus commoueret. Illud etiam è re Catholica geſtum. hæretici cum ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, quem à Summo Pont. alienum eſſe nouerant, præcipua ſuæ ſectæ capita dediſſent, iſq. non modo ea non approbaſſet, verum etiam ſingula refutaſſet; noſtri ad deterrendos hæreticos in linguam tranſlata germanicam, vt confutata erant, in vulgus ediderunt. itaque ea nunc magno cum hæreticorum dedecore, tum Catholicorum bono teruntur. Auctæ præterea ſunt Dei munere ac beneficentia Viennenſis Collegij fortunæ. nam B. Annæ Monaſterium, quod cuidam à conſilijs Maximilianus dederat Imperator; hoc anno ad nos, quibus reliqua eius bona Rodulphus poſſidenda conceſſerat, quaſi poſt liminio redijt. Id Monaſterium cum, & amplum, & pluribus inſtructum ſit ædibus, Societati opportuniſſimum eſt. Is qui eo cœnobio ab Imperatore donatus eſt ſponte ad nos venit, nobiſq. ſuum de Monaſterio cedendo conſilium expoſuit; modo quædam ei reſarcirentur impenſæ, fieretq. ab Imperatore poteſtas. Supplices Imperatori libelli dati ſunt, ab eoq. nō modo po

teſtas

testas facta libenter, verum etiam vt in perpetuos collegij vsus referretur, tributum.

PRAGENSE ET OLVMVCENSE

PRagæ duo & viginti ad Ecclesiæ redierunt obedientiam. Scholæ post acceptam superiorem pestilentiæ cladem, auditores tamen numerat trecentos circiter & sexaginta, in ijsq. nobiles multos. Prælectiones adiectæ sunt tres, Casuum, Controuersarum quæstionum, & Mathematicorũ. Sub ferias B. Vincislai data est tragædia sane quã apparatissima de Achab, & Iezabelis interitu. Conuictorum contubernium, & Seminariũ Pontificium alumnis & conuictoribus auctum est. in altero septem & septuaginta, viginti in altero numerantur. Ad excipiendos litterarum studiosos, qui rei familiaris inopia domicilio carent, certæ sunt ædes. in eis adolescẽtes sexaginta versantur tam incenso religionis amplificandæ studio, vt neminem in suo numero patiãtur, quem non ad idem catholicæ religionis studium suis colloquijs altercationibusq. conuertant. Quattuordecim ex ijs, qui in hæresi vixerant catholicorum ritu viuunt. Duo in ordinem Cisterciensium, tres in nostrum adsciti sunt. denique magnam de se illi opinionem apud omnes Regni proceres concitarunt. In Ciuitate Pilsnensi duo de nostris multis mensibus versati sunt, eorumq. opera duodecim sese ad catholicos receperunt. In alio Bohemiæ oppido totidem fuerunt è nostris. abegerunt ex eo Caluinianum ministrum, qui septemdecim iam annos rudes suis concio-

nibus deprauabat. Ex alijs quoq. pagis duo alij pseudo ministri magna incolarum gratulatione eiecti sunt. testabantur seniores, cum primum catholica religio reuocata est, se omnes illas ceremonias ac religiones, quę adhibebantur à nostris, ante annum quinquagesimum coluisse. eoq. nomine Deo immortali gratulabantur. Ex his senibus ætate iam affecta nonnulli intra sex horas è vita migrarunt. Quidam qui centesimum annum exegerat curru vectus ad templum, vbi diuina mysteria percepit, clara voce Deo Opti. Max. coram multitudine gratias egit, quod eius beneficio ad id tempus reseruatus esset, cum Catholicorum more communicare liceret. ea res qui præsentes aderant eo vsque permouit vt lacrimas non tenerent.

In Olumecensi Collegio *eorum, qui Sacramentis animos expiant, non exiguus est numerus. præter auditores Gymnasij vno die Paschatis numerata sunt confitentium tria circiter millia. communicātium duo millia & quingenti. In Gymnasio nostro dant operā fere sexcenti, pluresque darent, nisi metum attulisset proxima pestilentia. Sodalitium Dei Matris numerat plus minus ducentos, ex eis nobiles principesque complures. Medicus quidā cum vita cederet condito testamento omnes fere fortunas suas, vnde pauperes perpetuo alantur, sodalitati legauit. E iuuētute, quæ à nostris eruditur quattuor ad nos transierunt. Actæ sunt cum delectatione plausuq. de Iouiniano Imp. comœdiæ, quas lectißima spectatorum nobilitauit corona. Matrona quædā deserta ante annū quintum & vigesimum, religione catholica, ad eam nostris*

adiu-

adiutoribus se reduxit. Princeps etiã vir, qui septuaginta circiter natus annos sub vtraque semper specie communicarat, tandem superioris vitæ peccata confessus, sub vna tantum specie communicauit. Ad auitam religionem reuocatus est alius, qui annum quadragesimum perstabat in hæresi. Is postea per id tempus, quo acerbissimam Christi necem communis parens Ecclesia recolit, totum illud spatium, quod à Parasceue ad gloriosam Christi Anastasim interiectum est, sine cibo traduxit, monentiq. id nimium esse homini in religione tironi, respondebat, cum dæmonis causa cibis se se multas hebdomadas fraudasset, nequaquam nimium videri debuisse, si id pusillum tempus Dei causa per inediam ieiuniumque transigeret. præsertim quod iam animo fixum esset, benefacta, certa à Deo compensari mercede.

GRAECENSE COLLEGIVM, ET Domus probationis.

P*Ræter ea, quæ in Græcensi Collegio domi sunt gesta, foris plurimis administrata sunt Sacramenta ereptiq. ab hæresibus multi: in his decem adolescentes insignes. Alij item duo præclaræ indolis adolescentes in Græcensi hæreticorum schola instituti, cum ad Societatis Gymnasium se transtulissent, non ita multo post religionem Catholicam tanto studio complexi sunt, vt ab ea minis precibusue diuelli non possent. eorum alter natu minor cum sæpe à suis, vt à Catholicis descisceret, tentaretur, ingressoque balneum vesti-*

ſtimenta ne ad nos rediret erepta eſſent, ſeminudus ad Collegium profugit; quod cum domeſtici animaduerterent, re deſperata veſtimenta remittunt, atque ita exagitandi iuuenis finem faciunt. Nec vero natu maior minus egregie reſtitit ſuis. ſæpe cum pater ſolicitauit ad reditum, & vt liberius ageret, domi conclusum per hæreticum doctorem, quem ad eam rem aliunde euocauerat, conatus eſt diſputatione conuellere. Sed eorum argumenta cum diu filius eluderet, vt primum data eſt fugiendi facultas, clam ſine pallio per poſticum ædium euolat ad Collegium. Alium, vbi diu blanditijs terroribusve Lutheranus parens vrſiſſet tandem per fraudem in Turcarum fines amandat. ibi adoleſcens cum menſium aliquot ſpatio in famulatu fuiſſet, grauiſſimum in morbum incidit. erat apud eum Lutheranus miniſter, qui vt parenti perſuaderet, vt ad ſe filium reuocaret, ſcripſit ad eum, Lutheranum eſſe factum: eo nuncio parens maxime delectatus filiũ reuocat: filius inſcio patre clam de rerum ſuarum ſtatu noſtros conſuluit. retardabat à patre diſceſſũ, matris ſubita valetudo, ne ſua fuga morbi vim augeret. interim filius ad ſimulandum inſtructus, nequaquam à domeſticis propinquiſq. diſceſſit. pater plane credere à Luthero filium eſſe, ſed quo magis in ſententia confirmetur, cum hæreticorum doctore agit, vt in eorum ſynagoga, filius papiſticam, vt ille aiebat, perfidiã eiuret. aſſentiri ſe parenti ſimulat filius, ſed vbi dicta dies aduenit, materq. è morbo illo deceſſit, nihil cunctandum ratus ad Conuictorum Collegium parente inuito transfugit. ibi furentis patris minis precibuſque

con-

contemptis in Catholica religione magna cum progreßione virtutum perseuerat. De Græcensi Collegio hactenus: reliqua sunt communia.

Brunæ autē *& si magna ex parte Catholica religio labefactata est: tamen quæ Dei bonitas est, nō desunt qui ad eluendas confeßione maculas ventitent: numeratiq. sunt paschalibus ferijs amplius mille. Scholis præcipua religionis & pietatis est cura. Filij duo primarij cuiusdam viri, & si in hæresi erant admodum confirmati, tamē cum à nostris magistris audissent, nefarium esse pridie eius diei, qui sanctis omnibus festus est carnes attingere, domum reuersi nulla ratione à parentibus adduci potuerunt, vt eo die carnibus vescerentur. eorum exemplo reliqua permota familia ab ijsdem epulis temperauit. Mater pudore victa daturam operam se recepit, vt in posterum, cum huiuscemodi ieiuniorum dies inciderint, pisces pro carnibus apponantur. De Nouitijs præter vsitata ipsorum munera ardensque studium despiciendi sui nihil est quod litteris memoriæq. mandetur.*



PRO-

PROVINCIA RHENI.



Omplectitur Rheni prouincia domicilia decem, socios amplius trecentos. Coloniæ quattuor & triginta. Moguntiæ tres & quinquaginta. Herbipoli quinque & quadraginta. Spiræ septēdecim. Fuldæ triginta. Molshenii tres & viginti. Paderbonæ septē. In Treuerensi collegio sexaginta quattuor. In reliquis idem, qui superiore anno numerus. Societas aucta socijs triginta quattuor, sex autem obitu diminuta.

COLONIENSE COLLEGIVM.

Valde laborauit hoc anno Coloniēnsis Ecclesia propter subitum Pastoris à Romana Ecclesia dissidium, sed quoniam ea res nos fere nihil attingit; iccirco quæ nostra sunt, ea tantum breuiter perstringemus. Inchoatum tēpli opus persequebatur Societas, cum in ijs motibus contra Iesuitas conclamatum est, eos pero??ortune templum alijs, non sibi construere: breui enim fore, vt è suis sedibus pellerentur. Amici vt ab ædificatione cessaretur, magnopere suadebant, quod dicerent satius esse tumultibus paulisper cedere, quam salutem nostram cum multorum salute coniunctam in discrimen offerre. Tamen Dei sanctorumq. patrocinio depulsis, quæ impendere videbantur periculis, omnia cessere felicius, tantum enim abest vt ab ope

re

re cessaretur, vt etiam in medijs fluctibus sit perfectũ. Id postea sedata tempestate ab Episcopo Vercellensi, quem ad res componendas Romanus Pont. huc legauerat, vsitatis ecclesiæ ritibus consecratum est. emicuit in ea re singularis Præsulis virtus, qui post habitis ceteris rebus, vt cum splendore omnia accurateq. perficeret; pridie nobiscum & cibis abstinere, & pernoctare in precibus voluit. Vbi dies illuxit amictu Pontificio ceteraq. pompa processit in templum: ibi ritus consecrationis exorsus septem ipsas horas in ea religione magna cum voluptate consumpsit. Non minore pietate, quam hilaritate celebrata res est. frequentia hominum tanta, vt quanquam ædes satis illa quidem sit laxa, multos tamẽ adhuc propter angustias excluderet. Quin hæretici quoque mixti catholicis attoniti rei nouitate confluxerant, vt qui nunquam sua memoria aliquid tale conspexerant. Nec vero in perturbata ciuitate benemerendi de proximis occasio defuit. nunquã magis visa est vigere religio, quam cum ab improbis petebatur. Ad sedandos, quos dixi motus non tam humana quam diuina sunt quæsita præsidia. Decreta est horarum quadraginta supplicatio, quæ vt in ea ciuitate noua res fuit, ita maxime catholicorum animos excitauit. Et quia res diuinis nitebatur opibus non humanis, eos quoque exitus habuit, quos a Deo sperari par erat. nam Gebardo Truchse Archiepiscopatus munere spoliato, nouus Archiepiscopus Ernestus Bauariæ Dux renuntiatur. Tum demum Colonia respirare visa est, & tanquam ex luctu caput extollere. Ergo pro tã diuino munere sacra solennia in æde nostra peracta

sunt,

ſunt, propoſita peccatorum venia indulgẽtiaq. ijs omnibus qui adeſſent. ſed quanquam domi firmata pax videbatur, foris tamen hoſtium vires opeſq. creſcebant. Id rurſus ad diuina poſcenda ſuffragia catholicos incitauit. itaque ad certum tempus continens ſupplicatio decreta eſt, eaq. pluribus diſpertita templis, vt ſuus cuique templo ſupplicationis dies ſtatueretur. De celebri Myſteriorum vſu nihil attinet dicere. ingens obeuntium numerus fuit, vt etiam memoriam præteriti temporis ſuperaret. Par propemodum animorum fructus. Ad pœnitentiam adductus eſt quidam, qui nullũ flagitij genus reliquum fecerat: & quod grauiſsimum eſt, nõ modo ſibi ipſe oberat quod corrumpebatur, ſed alios etiam plurimos corrumpebat. is deinde apud nos vniuerſis uitæ ſceleribus expiatis, & multa quæ neſarie abſtulerat vniuerſa reſtituit, & ſolicito cœpit animo, eſſe quo pacto ad frugẽ reduceret eos, quos impura ſua cõſuetudine congreſſuq. peruerterat. Venit ad confitenda peccata puella quædã, quæ rebus ſuis deſperatis cum ſe præcipitem egiſſet in Rhenum, diuinæ prouidentiæ conſilio ſemiuiua à nauta, qui per tenebras ſtrepitum cadentis acceperat, extracta eſt. Vir nobilis ſtudio nouæ religionis adductus, ſic enim hæreſim appellabat, multas adoleſcẽs peragrauerat regiones, multiſq. cum hæreticorũ ducibus, in Gallia, Polonia, Morauia, Sileſia, Geneuæ quoque cum Beza vitam egerat; cumque modo ſe ad hos, modo ad illos hæreticos inclinaret, anceps dubiuſq. quos nam potiſsimum ſequeretur; tandem diuino conſilio in aperium vitæ diſcrimen adductus, ſupplex Deo vouit ſe ad Eccle-

siam Catholicam, si præsens periculum effugeret, rediturum: effugit, venitq. Coloniam; ibi graui morbo vehementer afflictus nostros accersit, peccataq. iam inde a prima pueritia repetens, tanta vi lacrimarum confessus est, vt vocem frequens singultus includeret. paucis interpositis diebus valetudini redditus, post annum fere trigesimum Ecclesiæ sacramenta percepit. Sed ab hæresi partim Caluiniana, partim Lutherana abducti sunt quinquaginta. & quanquam ex Anabaptistis rari admodum resipiscunt, non defuerunt tamen ex eo numero, qui cum Catholicis se coniungerent. Collegium conuictorum in tantis vrbis periculis non est admodum diminutum: fuerunt in eo perpetuo contubernales septuaginta. Qui vero scholas nostras in vniuersum frequentant, circiter octingenti. Litteræ & pietas pari cum laude iunguntur. Quidam ex his adolescentibus cum in publica platea mendicum misere abiectum offendisset, prehensa manu in valetudinariũ multitudine inspectãte deduxit: & apud eum reliquit argentum. Taceo precandi studium, sacramentorum vsurpationem, pœnas vltro susceptas ieiuniaq. quæ huic iuuẽtuti cum ceteris huiusmodi contuberniis communia sunt. In Societatem duo & viginti, in iisq. artiũ Magistri quattuordecim sunt adlecti. Societas à ciuibus, quæ illorum humanitas est, valde amatur, à principibus præsertim viris ac Senatoriis. quod tum maxime declaratũ est, cum in ea perturbatione motuq. ciuitatis templo nostro illata vis est. habitus est enim cum primum potuit ea de re Senatus, delectiq. duo, qui rebus diligẽter inspectis ad Senatum omnia referrent.

rent. Non minore nos beneuolentia ciues catholici prosequuntur. indicat illorum aduersus hæreticos præclara defensio. Parochus è Iudæo Christianus factus, venerationem sanctarum imaginum, vt seditiosam multitudinem sæpius iam compressam ad noua facinora inflammaret, varijs modis insectabatur. Ad Archiepiscopum re delata continuo ei sacris omnibus interdicitur: id vbi hæreticorum vulgus accepit ad parœciam conuolat frequens, pastoremq. suũ qui concione prohibebatur, valetudinem excusantem vi ferroq. ad concionem adigit. Sed conatu depulsi, omni impetu ad templum nostrum feruntur, in eoq. armati truculento vultu diuina perturbant. Catholici suscepto nostri nominis patrocinio, vim vi repellere, prioresq. in hostes dum conantur inuadere, eos cum ignominia & dedecore fugant.

TREVERENSE COLLEGIVM.

V*Ita excessit in hoc Collegio Gulielmus Lymburgus pietate eximia Sacerdos, qui Romæ olim cũ familiæ nostræ parente atq. auctore vixit. annum egerat in Societate sextum & trigesimum. Is ante quam decederet, quamuis afflictissima valetudine esset, noxas animi vt expiaret è cubili surrexit, prædixitq. ei, apud quem se expiauerat, horam illam sibi esse supremam, atque ita contigit: mox enim nec opinantibus socijs in Domino conquieuit. Tentata est adolescentũ quorumdam constantia, qui vel Societate recepti iam erant, vel consilium de Societate susceperant. Adole-*

scens

scens patre diuite & Senatore natus, cũ ad nos animũ adiecisset, admonitus ea de re pater ab amicis, misit qui filium de sententia deijceret. Adolescens virum semper se præbuit, nec vllis terroribus lacrimisq. flecti, nullis dolis insidijsq. decipi potuit. Ad senatum delata res est, qui cum Rectorem accerseret, Sacerdotes ad eum missi sunt duo. ij ex prudentia & ætate iuuenis facile probarunt senatui, à se illum, vt domestici criminabantur, nõ esse deceptũ. Senatus eorũ oratione victus decernit, quam potissimum, ad consequendam salutem, viam adolescens inire velit, id eius arbitrio relinquendum: extra limites suos prodire Senatum, si in ijs rebus, quæ ipsum nihil attingunt, suam interponat auctoritatem. ita is exitus rei contigit, quem adolescens optabat. Nec minori admirationi fuit cuiusdam fortitudo Pistoris, qui sex ipsos menses pugnã matris propinquorumq. sustinuit. cumq. illa eiulatibus lacrimisq. quotidianis, hi spe decoræ coniugis rudem animum solicitarẽt, is tamen adeo fortiter insidiosis vel promissis vel precibus restitit, vt non ex humili atque abiecta, sed ex generosa ac nobili videretur stirpe profectus. Gymnasium auditoribus constat circiter mille. Conuictorum vero numerus, propter pestilentiæ suspicionem non nihil est imminutus. Ab his præclarum spectaculum editum de restituta B. Io. Damasceno manu: quæ res tantum pietatis & admirationis habuit, vt fletum spectatoribus concitarit. Templum confitentibus sæpe refertum. Communicantium multa millia fuerunt. Puella quædam, quæ ad nos Sacramentorum causa ventitare consueuerat cum auiæ

defunctæ ſpecie terreretur, quam malum dæmonem ſuſpicabatur, monita eſt à Sacerdote noſtro, vt aqua ſe benedicta, & Crucis ſigno muniret. ea res ſpectri vires non modo non imminuit, ſed etiam auxit. nimirũ noxium non erat id ſpectrum: itaque mulier vt à Sacerdote erat edocta, quid imperet, rogat, paratam ſe eſſe opem, quam poſſit afferre. tum Auia, vt certi, inquit, agri prataq. à quibus ſunt ablata reddantur. nã eorum duntaxat vſum habebat in vita, ſed hæredes inter ſe diuiſa poſſidebant vt ſua. additque ea, quam dixi, Auia, vt votiuas quaſdã peregrinationes puella ſuſciperet, quas ſuſcipere ex voto ipſa non potuit. quæ cum hæc feciſſet, omni illa terrore moleſtiaque liberata eſt. Ab hoc Collegio mendicorum more peregrinati ſunt multi. qua in re occaſio noſtris fratribus eſt oblata aliquid ferendi pro Chriſto. Tres in hæreticos milites inciderũt, à quibus ſpoliati pallijs & pecuniola domum inanes dimittuntur. Duo alij fame & itinerum labore confecti ad pagum veſperi diuertebant: ſed veriti ne ipſi quoque militibus obuiã fierent, per agros ac dumeta ad alium pagum curſu contendunt. eo intempeſta nocte cum perueniſſent, ſingularum ædium fores feriunt, vt vel tanquam inopes exciperentur hoſpitio, vel de itinere docerentur. Sed quia paganorum vulgus ob excurſiones militum erat in metu, aperire fores auſus eſt nemo: tamen ab vno tandem in ſuas ſedes admiſſi, aqua feſſas vires oleribuſq. reficiunt. Vix quieti ſe dederant, cum vniuerſus pagus clamoribus perſonat, hoſtes adeſſe, intus eſſe prędones. Ruſtici timore exterriti alij alio in vicinam

ſyl-

ſyluam cum pecore ſe ſe abdunt. noſtri quoque ad alios pagos auijs & occultis itineribus auolant. cumq. vulgo pro hoſtibus haberentur, pulſantibus ædium fores, qui reſponderet, inuentus eſt nemo. iam dies illuxerat cum omni deſtituti ſolatio, porcorum haram feſſi ſuccedunt. Sed iterum tumultus exoritur, iterum clamor, hoſtem adeſſe. noſtri ignari ſua cauſa tumultum exortum, ipſi quoque ſuis rebus valde metuere, pauidique ex hara prodire. Sed pro hoſtibus comprehenſi deducuntur in Arcem. Hic à cuſtodibus vnde veniãt, quo tendant, quidue noctu vagentur interrogati, ægre tandem & à ſuſpicione, & e cuſtodum manibus ſeſe liberant. Ex hoc eodem Collegio rogatu Parmenſis principis, & cõſilij Regis catholici, miſſi ſunt aliqui, vt noui collegij fundamenta iacerent, Lutzenburgum. ei Collegio Prioratum quemdam Vnſeldungenſem Rex Catholicus aſſignauit. Duo ibi ſunt Sacerdotes; qui & Societatis & Catholicorum Sacerdotum munera obeunt. Habent conciones, præter dies feſtos, ſingulis hebdomadis ternas. Sic autem amantur, vt cum eos Rector per litteras reuocaret, Gubernator ciuitatis occluſis ſubito portis, negaret ſe, vti diſcederent, permiſſurum: iccirco enim eos Lutzenburgum vocatos, vt illic tamdiu ſint, quamdiu recens Collegium conſtituatur; iccirco & ædes & annuos illis reditus ex eo, quẽ dixi Prioratu, decretos. ſimulq. ad Viſitatorem & Rectorem Treuirenſem de ijs retinendis litteras dedit. Nec dubium eſt, quĩn ſi ibi ſedes Societas locet, magnum è ſuis laboribus captura ſit fructum: eſt enim genus hominum maxime ad pietatem virtutemque

doloribus torqueretur, Sacerdotem nostrum de nocte euocauit, eiq. peccata rite confessus, vouit si dolores remitterent curaturum, vt in honorem B. Erasmi sacrificiũ Missæ, vbi dies illucesceret, offerretur. vix vota fecerat, cum dolor omnis resedit. Hæc de Moguntino, nam cetera cum ceteris sunt communia, Duo autem ex hoc Coll. in Societatem nostram se dicarunt. Herbipoli diem obijt Ioannes Thilenius excellẽti virtute Sacerdos, is quam charus esset non modo domesticis sed etiam externis, mœror funeris declarauit. Mulier cum abortum sæpe fecisset, iterumq. grauida horreret abortum, ad Patrem supplex adijt, sui partus infelicitatem misere deflens. Pater bono animo esse iussit, fore enim vt filium omnino pareret. quod mirifice cum re congruisse ipsa nobis mulier vaticinij memor exposuit. Præsto etiam fuit nostrorũ opera moribundis. Herbipolẽsis episcopi suffraganeus eo semper fuit in Societatem amore, vt cum animam ageret, ne tum quidẽ obliuisci posset nostri: aliquos è Societate dies noctesq. sibi semper adesse voluit, & quamuis ille quidẽ è B. Dominici familia esset, haberetq. in suo cœnobio satis nobile monumentum, maluit tamen humili apud nos, quam nobili apud suos sepulchro mandari. Hic quamquam multi sunt, qui nostrum ordinem vehemẽter expetant, vnus duntaxat, isq. magister artium impetrauit. alij vero ad alios sese ordines contulerunt. Multorũ domi forisq. confessiones exceptæ sunt: quingenti amplius iam inde à primis annis suorum scelerũ memoriam replicantes, animum expiarunt. Triginta ab hæresi reuocati sunt, quorum tres inter suos fuere

ministri, vnus autem regressus in patriã, vbi minister fuerat, maximam omnibus admirationem attulit, cũ & constantem se in religione præberet, & opes suas pauperibus erogaret. Illud autem contigit admirabile, in quo pene de hæresi triumphatum est. Aedes erant cuidam Parocho non procul ab vrbe, siue malo dæmon̄, siue hominum præstigijs infestæ; narrabat ipse Parochus, domesticiq. propinqui, quicquid erat in ædibus magno impetu ad terram affligi; ardentes præterea faces casq. plurimas in conclaui, quo nulla aspirabat aura conclusas, anhelitu vno restingui; lectos cubãtibus, puluinos ceruicibus vi summa subtrahi; plerisque domesticorum sic includi fauces, vt præfocari viderentur; denique multa & aspectu, & auditu tetra in ea domo fieri solita. Parochus tristis consilijque inops, nostros adijt, commemoratisq. quas pateretur iniurijs, Sacerdotem aliquem, cuius præsidio tueri se posset, à Rectore poposcit. Datum est Vni negotium, qui cum ieiunus sub vesperam eo se contulisset, vix intra limen pedem intulerat, cum ea ipsa quæ audierat, intuetur. ipso cum comite inspectante parieti est impacta scutella tanta vi tantoq. impetu iaculantis, vt eos qui aderant metu propemodum exanimarit. Pater omnes bono animo esse iussit, hortatusq. Parochũ, vt ad expiandum animum se compararet, ipse superpelliceo stolaq. indutus in superiorem ædium partem, vbi plerumque tumultuari consueuerat dæmon, ascendit Hic vsitatis ecclesiæ religionibus ad dæmones fugandos adhibitis, cum responsum daretur nullum, nemoq. Sacerdotis voce prouocatus adesset, redit ad cohortan

dos

dos domesticos, præcipueq. tum ad hæresim abijciendam, tum ad expianda confeßione peccata lustratisq. rite sedibus ad collegium non sine magno animorum lucro reuertit: constat enim multos ab hæresi restitutos Ecclesiæ, & ædes illas omni superiore molestia, vt testatus est postea Parochus, liberatas.

SPIRENSE, ET FVLDENSE.

SPiræ confeßionum pervtilis opera fuit, auditiq. sunt hæretici quattuor & viginti. Auditorũ è Gymnasio numerus non magnus ille quidem est; Senatus enim seuerißima lege cauit, ne quis quemquam e nostris auditoribus tecto recipiat. nec tamen defuere, qui cum educarentur in hæresi contemptis præceptoribus suis ad nos confugerint. Religiosi etiam quidam Senatus iussu de habitatione depulsi maluerunt pernoctare sub dio, quam disciplina nostra carere. Est Spiræ domus quædam ad sustentandam discipulorum inopiam à maioribus constituta: sed eius contubernij disciplina labefactata. cum Spirensi Capitulo Episcopus egit, vt in Seminarij formam redactum nostrorũ curæ fideiq. committeretur. Itaque litteris ad P. Generalem datis duos, quos ei seminario præficeret, impetrauit. Aluntur in eo huius Diœcesis adolescentes duodecim. ij quanquam sacris non alligantur, eo tamen fere propendent omnes, vt profanis rebus curisq. posthabitis vni Deo famulentur & vacẽt. Data sunt hoc anno spectacula duo. alterum Christi corporis ferijs. alterũ in anniuersaria instauratione Gym-

nasij. Nam cum ad hanc renouati Gymnasii celebritatem tum Ecclesiastici, tum iuris consulti Societatis amantissimi accedere soliti sint; vt vtrisque consulere tur, permouendi fuerunt B. Iuonis spectaculo, qui & ciuiles tractauit causas, & Deo se præcipuo quodam pietatis studio dicauit. Itaque huius Beati liberalitate permoti complures largas in egenos discipulos eleemosynas contulerunt. Prior actio eo spectabat, vt fides, quam de Eucharistia catholici profitentur, à vetustissimis Ecclesiæ doctoribus sanciretur. Auxit rei celebritatem frequentissimus Spiræ conuentus ex omnibus Romani imperij legatis. Hic mirum quam disrumperentur heretici, vt etiam pro concionibus contiuere se non possent, quin præclaram de Eucharistia opinionem, è suorum mentibus quantum in ipsis esset, euellerent, admonerentq. magno tum verborum apparatu, tum dicendi studio, vt hominum, qui Iesuitis adhærerent relicta doctrina, purum ipsi Dei verbum amplecterentur. Sed ab hæreticis non semel exagitati sumus. Alius præcipuus hæreticorum minister dederat viro graui sibique familiari quæstiones aliquot, quas expediendas obijceret nostris: eas nostri facili negotio cum dissoluissent, & ille iterum ac sæpius nostrorum responsa conaretur infringere, demum quã in arte disserendi peregrinus esset, ostendit. nam vt cetera taceam, ingentem argumentorum numerum ex libro quodam Patris Gregorij de Valẽtia, quæ ille confutandi gratia collegit, descripsit ad verbum, eaq. ad nos homo minime malus mittere non dubitauit, vel quia eo nos forte carere libro, vel quia quæ esset eius

libri

libri sententia fugere existimabat. Sed ei in hanc fere sententiam responsum est: nos argumentorum vel copiam vel subtilitatem, quando ea è Gregorij nostri scriptis appareret esse trarslata, minime admiratos nec dubitare, quin apud eumdem, quemadmodum ea convelleret, reperiret: Quod si eo forte libro caret, à nobis eius copiam libentissime factum iri. his ille perlectis quasi de cœlo tactus animo sic concidit, vt perpetuo hiscere iam non audeat. Spiræ duo ad Societatem se aggregarunt. Tres autem Fuldæ. Sed in Fuldensi collegio ad cetera benefacta illud accessit. quod coactis ineunte anno mendicis, tum est habita cohortatio, tum eleemosyna per pios homines distributa. Ab hæresi sunt absoluti complures, institutæq. Eucharistiæ nomine supplicationes ad confirmãdos contra hæreticorum perfidiam Catholicos. Gymnasij nomen apud Lutheranos quoque est in honore. addita est sexta quædam schola, vbi præter litterarum doctrinam ipsis etiam hæreticorum filijs christiana traditur disciplina, alijq. Lutherani parentes ex alijs scholis huc suos liberos mittunt. Auxit existimationem Gymnasii auditorum in fide constantia, quorum exemplo factum est, vt religio catholica ipsis quoque probare cœperit aduersarijs: vident enim adolescentes solo interdum pane contentos ab omni obsonio temperare potius, quam cõtra religionis imperium carnibus vesci. Puer decimum agens annum cum minis blanditijsue nullis adduci posset, vt vetitas per Quadrasimam dapes attingeret, effecit vt eius quoque Lutherani parẽtes ab adipatis mensis carnibusque discederent. In

soda-

sodalitate Dei Matris par exercitatio virtutũ. Cum è sodalibus quis effertur, eius funus magno pietatis exẽplo reliqui curant. Quidã ex his, qui vita excesserant, adeo rerum omnium inops & nudus erat, vt eius matri ne ad inuoluendum quidem cadauer suppeteret linteum. Sodales quicquid ad honestatem funeris pertinebat, id omne curarunt. inter ducendum funus illud accidit periucunde, quod cum hic, vt dixi, perhonorifice efferretur, celebri comitatu facibusq. permultis: commodum efferebatur hæreticus nulla funeris pompa, nulla Cruce, nulla denique ceremonia, quasi canem diceres pecudemue efferri non hominem. id dum Lutherani conspiciunt, repente suo abiecto funere ad sodalis funus cũ reliqua multitudine conuolant. ea res plerisque risum, non nullis etiam stomachum mouit, sed tamen facile indicauit Catholicæ veritatis quanta sit vis, cum ipsos quoque aduersarios suæ vitæ perfidiæq. iam pigeat.

HEILIGENSTADIENSE ET Molsheimense.

HEiligenstadij tres se Deo in Societate dicarunt. *Crebra hoc anno fuit Sacramentorum administratio. Eucharistia tribus amplius millibus distributa est, qui numerus in tanta hæreticorum multitudine non est exiguus. Nec minor Confitentium numerus, qui vel e vicinis pagis oppidisque, vt nobis potissimũ confiterentur, aduenerant. inter quos integræ fuere familiæ, quæ se suis Parochis credere non audebant. Exhæ-*

hæreticis quattuor supra viginti ad Ecclesiam Catholicam redierunt. quorum vnus sexagesimum iam annum sua dogmata pertinaciter defendebat. Actæ sunt comediæ duæ, altera de filio prodigo, altera De B. Magdalenæ Pœnitentia; vtraque lacrimas iis, qui spectabant, expressit. Ad Magdalenæ pœnitentis actionem non modo frequens ciuitas, sed è vicinis etiā pagis confluxere permulti. Hic illud admiratione non caruit, quod cum pridie ingens aquarum vis decidisset, & inter agendum præcipites imbres singulorum capitibus immineret; ab omni tamen iniuria actores fuerunt immunes; vt diuino consilio factum videatur, vt quoniam ad reuocandam auitam religionem hæc spectacula referuntur, eorum celebritatem pluuiæ nō fœdarent. Miles dum ea, quæ ad Lazari sepulchrum gerebantur, irridet; repente animo viribusq. deficiens in terram misere lapsus est, tandemq. vix rediens ad se se spectaculo excessit. Femina multis inquinata peccatis desperatione veniæ sæpe se in amnem præcipitare constituit. at dum præclaram Magdalenæ pœnitentiam tacita spectat, ipsa quoque spe concepta veniæ ad Pœnitentiam adducta est. Crebò in vicinos pagos excursum est non sine multorum salute fructuque. Multæ auditæ sunt Confessiones, præsertim vbi vel rarus fuerat audiendi vsus vel perperam audiebantur à Parochis. nam cum superioribus temporibus Parochi binos ternosue simul sua quemque peccata confitentes audirent, admirabantur postea nostrorum audiendi rationem, qui non vno pluribus singillatim operam dabant. Sed quæ sit apud hæreticos Societatis opi-

nio

nio facile illa declarant. Non longe distat Molbusiũ oppidũ, vbi concionatores hæretici quasdam suis precationum formulas præscribebant, quibus triplicem à se hostem propellerent, Turcam, Romanum Pont. & maxime omnium Iesuitas. Alius eodem in oppido de grege ministrorum scriptum quoddam germanicis contextum rythmis in vulgus dedit, quo probare conabatur, se reliquosq. Lutheranos veros esse Iesuitas, non autem eos qui ab Ignatio Loiola orti dicerentur: nosque nominatim perstringens mirificè sibi alijsq. Lutheranis de hoc nouo nomine gratulabatur. aucupatus est ille quidem alieno nomine gloriolam aliquam, sed ignominiam reportauit: notata est enim à sapientibus hæreticorum leuitas, quod cum varijs se ante nominibus appellassent, ad extremum nomen nostrum quod paulo ante probris maledictisq. proscidérant, vt honorificum & gloriosum sibi vendicarunt: vt iure optimo quicquid in Iesuitas ante dixerant, scripserantue, id totum in eos nouos Iesuitas quadrare aptissime videretur. E Molsheimensi *Collegio quattuor sese adiunxerunt ad nos nostris vsibus satis apti. Scholæ & si proximo anno propter pestilentiã dilapsæ iã erant: hoc anno, impari quidem numero, sed tamen non exiguo restitutæ sunt.*


CONFLVENTINVM COLLEGIVM
& Residentia Paderbornensis.

C*Onfluentiæ instituta est nostris auctoribus in præcipua æde Christianæ explanatio doctrinæ: quæ* *quam-*


quamuis inusitata esset & noua; habuit tamẽ progressus opinione maiores; ad ea tam multi ventitare cœperunt, vt eos locus quamtumuis amplus excludat. Sacro cõuiuio excepti sunt bis mille amplius, numero duplo maiore, quam anno proximo; & quidem è nobilibus diuitibusq. Scholas quamquam & bellici tumultus, & annonæ difficultas, & pestilentiæ grassantis insolentia retardare poterant; eæ tamen celebratæ sunt auditoribus supra ducẽtos: singulari autẽ beneficio Dei factum est, vt cum integras pestilentia familias easq. multas absumpserit, ad nos tamen non pertinuerit. Iã communia & quotidiana ne ab huius quidem Collegij socijs prætermissa sunt. Ciuis criminis nescio cuius notatus infamia, idq. iniuria in animum induxerat eam notam ferro delere: sed à Sacerdote nostro placatus & vlciscendi cogitationem abiecit, & peccata rite confessus Christi corpus accepit. Matrona bonam partẽ suarum fortunarum Collegio legauit. Alij alijs donis muneribusq. templum nostrum locupletarunt.

Paderbonam *missi sunt aliqui. quorum fructus is est potissimus, vt in ijs oris catholica stet religio, & à reliqua diœcesi hæresis arceatur. Vbi vero barbariem hanc veteris Saxoniæ populus exuat, & Lutherana purgetur ab hæresi, tum demum spes omnis erit religionis catholicæ proroganda: sic enim ædis maximæ clerus nostrorum aduentu & concionibus excitatus est, vt quamuis prouinciæ caput sanum non sit; quiduis tamen perpeti malit, quam ijs assentiri, qui noua dogmata nouasque religiones inducunt. Nuper noui Canonici cum in comitijs prouincialibus Fidem eiura-*

re Catholicam vrgerentur, non modo tantam maculam in se suscipere noluerunt; sed etiam à pseudo Episcopo, vt concionatores hæreticos eiecturum se ex vrbe reciperet, extorserunt. Fuerunt Paderbonæ sex, *Sacerdotes duo. Magistri totidem, qui laico quidem & populari, non tamen indecoro docent ornatu, eodem scilicet quo reliqui præceptores externi. Hi cū à docendo destiterint, in eorum locum nostri succedent. quamquam etiā nunc docēdi potestas facta est.*



PROVINCIA SVPERIORIS GERMANIAE.



Vnt huic Prouinciæ collegia octo, Domus Probationis vna, socij fere centum ac nonaginta. Ingolstadij quadraginta duo. Dilingæ sex & viginti. Monachij vno minus. Augustæ duo & viginti. Landspergæ fere viginti. Oeniponti Lucernæq. in singulis collegijs quindeni, in reliquis item duodeni. Societati nomina dederunt vndecim. Obiere tres. Dilinganum Gymnasium cum alio auditorum genere nobilitatur, tum cœnobitis compluribus. ab eis non minor ad virtutem, quam ad litteras fit progreßio. Domum cum reuertuntur cœnobiticam disciplinam, quæ propemodũ iam interijt, suo exemplo studioq. restaurant. Confeßiones vt in tali loco non infreqũetes. duodetriginta ab hæresi reuocati sunt. Exercitationibus spiritalibus operam dedere cum alij, tum cuiusdã cœnobij Abbas, alijq. cœnobitæ nonnulli. Duo harum meditationum beneficio ad Societatem se transtulerunt. Ingolstadij *duodeuiginti ab hæresi recesserunt. Confitentium numerus pro loci ciuiumq. natura satis magnus. E sodalitate Dei Matris vberes interdũ fructus colliguntur. Sodalium admonitionibus quattuor hæresim eiurarunt.* Monachij *vero septem & viginti. Mulier in ea vrbe cum propter pariendi labores in discrimen vitæ vocaretur, nostris confessa, sacrisq. agnis communita cereis liberata est. Tres sedis Apostolicæ*

Nun-

Nuncij Collegium cum perhumaniter inuisissent, vnus ex ijs, vt ab aulæ strepitu liber esset, dies aliquot apud nos fuit. Bauariæ dux cum rebus nostris semper fauet tum nuper templum nobis opere magnifico extruendum curauit, ad eamq. rem multis scutatorum millibus ædes emit. Aprili mense Felicianus Episcopus Sedis Apostolicæ nuncius solenni ritu, ceremoniaq. præsentibus Bauariæ principibus, nobilitateq. permulta, primum lapidem iecit. Adolescens Iudæus duos & viginti natus annos communi omnium gratulatione in ipsa Gymnasii aula baptizatus est. Huic miras sæpe Dæmon struxit insidias: & quo magis vrgebat ille baptismum, eo hic impugnabat vehemētius: nudum pene de nocte eiecit ex ædibus; interdum etiam fauces illi premere, non nunquam visis eum spectrisq. terrere, vt de mente illa deijceret, consueuit. vultus dæmonis adeo fœdi, vt negaret adolescēs, parem vllum sibi videri ijs imaginibus cruciatum. Pridie eius diei, quo baptismate lustrandus erat, quoniam eo demum die de victoria dæmonis agebatur, multo eum vehementius inuidus hostis exercuit, ita vt is ne à pluribus quidem con tineri loco posset. Vt autem vi baptismatis Christi mē brum effectum est, continuo fractus & debilitatus est dæmon. Oeniponti nouē ad Catholicos reuerterunt. Matrona dū concionibus interest armillam multi pretij sibi ipsa detractam Christo temploq. dicauit. Lucernæ ab hæresi sunt abducti non pauci, in ijsq. vnus, qui viginti amplius annos populum Zuingliana peste cōtaminarat. Illud etiam in ea vrbe præclare gestum. Cappucinorum familia cum suas ædes hoc anno primum


mum Lucernæ locasset, multaq. illi propter nouum in his locis & insolens viuendi genus perpessi essent; nostri dederunt operam, vt nihil illi ad sustentandam vitam desiderarent; actumque postea cum ditioribus, vt pro suis quisque opibus eorum sustentent inopiam.

Landspergæ Virgo quædam erat dicata Deo, nostrisq. peccata confiteri solita, ea desperationis stimulis agitata, à malo dæmone putabatur obsessa, cuius etiam vi non nunquam aliqua diuinabat: quo in genere contigit aliquando, vt cum aliqui de nostris abessent venientes biduo ante prædiceret. quo magis eorum appropinquabat aduentus, eo magis furebat: Nostri nihil sibi prius faciendum rati, quam vt ad confessionẽ virginem hortarentur, ægre tandem impetrarunt, vt confiteretur: Confessionem subita tranquillitas consecuta est.

In Friburgensi Collegio vix initio sex septemue, ipsis quoq. natalitijs Domini ferijs sacra mysteria capiebant: Nũc Dei munere sexcenti circiter numerati sunt. Vna hebdomada sacra duo millia amplius hominũ per confessionẽ animũ expiarunt. hæretici ad catholicos aggregati sunt sex & qninquaginta. A Senatu porro nostris concionibus impetratum, vt sacrosancta Eucharistia maiore cum veneratione posthac deferatur ad ægros. Augustæ collegij opus vna cum templo quantumuis ingens & amplum, perfectum est. Qua in re maleuolorum conatus, qui propter inuidiam impedimentum ac moram conabantur inferre, Deus irritos fecit. Annum à Romano Pontifice restitutum incredibile est quam indigne ferant hæretici, eiusq. rei

auctores nos potißimum dicunt. excitauit ea res strepitus insanientis vulgi affixæq. sunt ante Curiam litteræ minaces, quarum ea erat sententia, nisi nostri exturbarentur ex vrbe, nouumq. Kalendarium à Magistratu promulgatum antiquaretur, pacem in ciuitate fore nullam: verum Dei ope illorum artes & consilia ad nihilum reciderunt. nam catholica religio Christo iuuante contra hæreticorum perfidiam sese tutatur egregie: Ab hæresi autem aliquos sibi semper adiungit. Hæreticus concionator cum contra supplicationes, quæ ad sacra loca pie à catholicis instituũtur, verba fecisset; Sacerdos noster, dum in æde maxima concionatur, populum ad retinendam supplicationũ consuetudinem adhortatus, in supplicãtium reditu certo se cõcionaturũ dixit in loco; factumque est, vt magno cum hæreticorũ dolore, septem amplius hominum millia in supplicãtium speciem cũ vexillis canticisque reduceret.

PROVINCIA FRANCIAE.



Vnt in hac Prouincia domicilia septē, sociiq. ducenti circiter ac viginti In Professa domo Parisiensi duodeviginti. In collegio vero duo & sexaginta. In Mussipontano quattuor & quinquaginta. In Verdunēsi, cui probationis domus adiuncta, est duodequadraginta. In Bituricensi viginti duo. In Niuernensi quattuordecim. In Augensi duodecim. Ad Societatem venere viginti obiere quattuor.

Auctus est *Auditorum numerus in Parisiēsi Gymnasio è nobilitate præcipua: ventitat tum Caroli Regis IX. naturalis Filius, tum comitis cuiusdam liberi, qui quondam primos inter hæreticos familiam ducebat. Præclare autem â Deo comparatū est, vt qui multos iam annos omni ope Societatem exturbare tentarant, nuper dimißis ob pestilentiam scholis valde doluerint, cum Gymnasio nostro dissoluto, reliqua etiam Collegia suis auditoribus caruerunt: neq. prius instaurata sunt illa, quâm hoc quasi signo dato intermissa studia reuocauit. quo tempore tanta auditorum frequentia subito fuit, vt nullum intermißionis vestigium appareret, itaque numerantur in præsentiâ auditores mille circiter ac ducenti.*

Mussiponti *dum in administrandis sacramentis opera ponitur, quidam ex capitis dolore cum amisisset*

aspectum, peccatorum confeßione (quod vnum suo malo putabat esse remedium) pristinam lucem reuocauit. Ex prima nobilitate vir potens vna cum familia vniuersa sese item apud nostros per confeßionem expiauit, spoponditq. nullos se hæreticos in sua ditione laturum, nisi ad fidem sanitatemq. redierint. Vnius qui ex hoc collegio missus est opera, sexaginta circiter patresfamilias hæresim eiurarũt. Vxor hæretica, quæ cum viro sextum iam & vigesimum viuebat annum, cum à Dæmone torqueretur, quod de relinquenda hæresi cogitaret, nostrorum suasu palam damnatis erroribus liberatur.

In Probationis *domo, quam cum Verdunensi Collegio diximus esse coniunctam, ad omnem virtutis laudem nauiter incumbitur. Nec defuere, qui multis difficultatibus obstructum Societatis aditum magna animi constantia sibi patefecerint. In his vnus cum ad Societatem contenderet, domum à parente retractus, duosq. menses tanquam in custodiam inclusus, clam inscijs omnibus nullo comite, nullo viatico, mendici ritu victum quæritans se dedit itineri; cuius incommodis octo dierum curriculo superatis, pallioliq. erepti à milite iactura facta, tandem ad ad hanc domum, vt in optatum portum peruenit.*


E Bituricensi *collegio vicinũ ad oppidum, quod ex omni pene hæreticorum fece constat missi sunt multi, in eoq. complures in fide nutantes confirmati. Niuerni pestilentia grassante destinatus est vnus, qui ægrotantium animos vitasq. curaret; is tanta diligentia ac charitate eo functus est munere, vt non solum Ecclesiæ*

fiæ sacramenta contaminatis pestilentia hominibus ministrarit, aut eos concionibus priuatisq. colloquijs confirmarit; sed multa etiam instituerit salutaria, quibus & diuinum numen placaret, & in eorum animis studium pietatis accenderet. multas furandi expilandiq. causas ademit, discordias sedauit, ac ne quid ægrorum curationi deesset, omni ope prouidit. Quæ quidem dum gereret, diuinam erga se benignitatem nō obscuris sensit indicijs; nam quamuis in eo munere multos iam mēses quotidianis periculis vitam obijceret, numquam tamen eum attigit pestilentia. Repertiq. sunt, qui eius admonitu, signo crucis quaqua pestis tetigisset, expresso, leuationem morbi subito senserint.

Augi magna vis confitentium est. Mulier quæ ex mortuæ filiæ dolore in morbum ac phrenesim inciderat, à nostro Sacerdote primum obiurgata; deinde confessione expiata, nec non cœlesti cibo refecta ad sanitatem corporis mentisq. reducta est. ijsdem curationibus sanata mulier, quam cum malo dæmoni iratus parens deuouisset, ab eo grauissime vexabatur.

Diepa maritimum oppidum Augo distat passuum millia sex. Hic catholicorū pueri vt à Sacerdote nostro docti sunt, Catechismum publice cantant, quibus & paruuli hæreticorum filij vel inuitis parentibus se interdum aggregant. quo in oppido illud etiam memoria dignum accidit, Infans adhuc mammas appetens clara vocē clamitasse dicitur, Missam, Missam eamq. rē admirata mater hæretica, puerum ad catholicorum templum detulisse, concioniq. quæ tū forte habebatur interfuisse, mox reiecta hæresi fidem Catholicam su-

ſcepiſſe. Reſtitutum eſt Augi ſodalitium vetus eorum, qui, quos peſtilentia confeciſſet, efferrent. ex eoque numero peculiari quadam Dei prouidentia (id ceteris admirantibus) infectus eſt nemo. Diſcipulorum numerus, quãquam eadem morbi lue diminutus erat; mox tamen reſtitutus, auctus eſt ad trecentos, adiecta que quarta quædam in Gymnaſio ſchola. Exceptus eſt Dux Guiſius, is qui Collegium in hac vrbe conſtituit, tum verſibus, tum dialogo: quæ res humaniſſimi Principis animum ſatis ſua ſponte propenſum mirifice erga nos inflammauit: Miratus autem noſtram in ædificando ſedulitatem, quicquid ad eam rem neceſſarium fuit liberaliter impertiuit. Aedificij vero proſpectu tum ipſe, tũ Borbonius adeo ſunt delectati, vt hic paucis poſt diebus Rhotomagum ad iacienda fundamenta contenderit.





PRO-

PROVINCIA AQVITANIAE.



Abet in Aquitania Societas Collegia quattuor, socios centum & sex. Burdegalæ quidem quattuor & triginta. Rhutene septemdecim. Octo Mauriaci. Tolosæ reliqui. Quinque migrarunt è vita. Recepti sex & viginti.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

CEpit & hic Societas è suis laboribus satis vberes fructus. Recepit hoc anno tredecim, quorum in plerisq. constantia satis indicat, quantum virium bonitas diuina suppeditet iis, quos ipsa vocarit. Quidam parentibus natus hæreticis cum esset admissus, pater rigente hyeme Tolosam venit, & ad oppidum proximum, quo filius concionatoris comes missus erat, excurrit: quem vt è concione redeuntem offendit, multis eum modis a proposito reuocare conatur; matrem narrat contracto eius causa morbo iacere in lecto moribundam, hortatur ne se tanto parricidio inquinet, si matrem, quam sua præsentia releuare posset, sui desiderio confici patiatur. hæc & id genus alia ad mollien dum adolescentis pectus versutus pater excogitabat. Sed cum ita nihil proficeret, à lenociniis conuersus ad minas, quem deterreri potuisse putat, multo magis in suscepto consilio confirmat. Quamobrem Tolosam re-

gressus supplicem libellum dat senatui, vbi & nostros & nutritium adolescentis accusat, quod ab hoc filius catholica religione institutus, ab illis etiam esset ereptus. Senatori mandata res est, qui adolescentis explorata constantia, cognitaq. Patris impietate, indignum tali filio talem parentem iudicauit. Itaq. nunc in Societate dat operam, vt tanto digniorẽ cœlesti patre se reddat, quanto is est dignior, cui vniuersa deseruiant. Nec minus se præbuit virum alius quidam adolescẽs qui cum de nostrorum consilio significasset parentibus nihil sibi ad Societatis aditum præter ipsorum voluntatem desiderari; parentes eum continuo in Collegiũ quoddam, cui externi præsunt abreptum, eius loci moderatori tradunt, vt de sententia deducat. Adolescẽs diu multumq. quà euaderet, commentatus; tandẽ post dies aliquot euolauit. quo eius facto delectati parentes tanto eum Societati dedere libentius. Alius cum potestatem à suis vitæ in Societate degendæ extorquere non posset, consilium cepit discedendi Burdegalam, sed retractum ex itinere milites reducunt in vrbem & in Collegium Squillanum intrudunt. Mater quæ sæpe filium ob hanc causam execrari solita erat, malleq. se aiebat non genuisse, quam Iesuitam aspicere, dũ e villa reuertitur, equo in terram excussa, crura confregit. quo casu non ita multo post exanimata, in omnium sermone reliquit, quam merito plecteretur à Deo, quæ à religione filium conaretur auertere. Templum pœnitentibus satis frequens, Duodecies mille & sexcentæ confessiones dicuntur exceptæ, vniuersæ vitæ septem & nonaginta. Hæretici etiam ad sanam

Chri-

Christi doctrinam traducti, in iisq. vnus in æde nostra hæresim abiurauit. idemq. fecere sexdecim latrones insignes, & duces hæreticorum coram circumfusa multitudine cum capite plecterentur. & quidem ea pietatis dolorisq. significatione, vt non paruam sibi ex eo beneuolentiam & existimationem nostri collegerint. Miraculi instar fuit, vt qui innumeros pene Monachos & Sacerdotes necassent, Sacerdotem nostrum cui confitebantur, tam subito tanto amore complecterentur. Inter eos quidam, cuius erat præter cæteros nobilitata crudelitas, non modo viatoribus sed etiam vrbibus, vt qui iam castra inuaserat, formidini erat. Huic quanquam pro scelerum magnitudine minutatim concisa sunt membra; tanta tamen æquitate animi atq. constantia eos pertulit cruciatus, vt nullum prorsus doloris signum proderet indecore.

BVRDEGALENSE.

BVrdegalæ, vt a domesticis ordiamur, vndecim in Societatem cooptati sunt. Obiit magna cum laude Carolus Ferronius, qui e Burdegalensibus primus ad nostrum numerum se adiunxit, cuius cum vita omnis in Societate laudabiliter acta, tum vero extrema vitæ clausula ad exemplum maxime profuit: qui ne tum quidem cum lento quodam mobo tabesceret a laboribus conquieuit, nec prius ad cubile cõcessit, quàm vires eum animaq. deficeret. Cũ vero propius accessisset ad mortem, integris semper sensibus de diuinis disserens rebus inter pia colloquia placide obdormiuit.

uit. Celebre fuit hoc anno Gymnasium auditoribus mille ducentis, quorum sæpe non minor est ad litteras quam ad virtutem pietatemq. progressio. Mulier egestatis impatiens suum necabat infantem, cum ab vno de discipulis nostris eoq. pene puero minis & increpationibus ne id faceret, deterrita est. Alius ex eodē numero adolescens venientem ad se intempesta nocte mulierem, ne pudicitiam eriperet, inclamato IESV nomine, illico eam vt immane monstrū abegit. Nec vero minus frequens est templum. Confessionum autem non vulgaris vtilitas fuit. Ciuis diu noctuq. vel inter cænandum atq. in ipso vicinorum conspectu agitabatur à Dæmone, & quanquam intra domesticos parietes occlusis ianuis se contineret, proiectis intro lapidibus terrebatur, nemine comparente. rem ille cum detulisset ad nostros, expiatis vna cum familia peccatis, cælestiq. pane suscepto, omni superiorum dierum molestia liberatus est. Quadrima cuidam rustico filia erat, quam vnicam vnice diligebat, ea cum in morbū incidisset macieq. in dies conficeretur; parens omnibus ante remedijs frustrà tentatis Ariolum consulit. Is ad certam diem reuerti iubet: paret ille, & vt adsit ad condictum diem iter ingressus; ecce tibi inter syluam & patentes campos tanto horrore perfunditur, vt sui met miraretur: Sed salutari crucis signo fit repente tranquillior. cum longius progrederetur ecce nouus horror antecedente maior, clamoresq. ciere cum vellet vocem amisit. ergo institutum iter deserens, domum redit: in reditu dum pontem traijcit ea denuo consecuta est animi corporisq. turbatio, vt nec

vo-

vocem vllam edere, nec signum Crucis sibi posset imprimere, humoq. excitatus, suspensus sibi videbatur in aere. cum ad sese redisset domumq. reuertisset, omnia, quaqua se verteret, formidabat; ac subinde à sinistro latere, vnde ei spectra quædam obijciebantur, retorquebat aspectum; nec ante terroribus factus est finis, quam suum apud nos animum confessione purgaret. Eadem ratione mulier è terroribus vmbræ cuiusdam, quæ priorem se dicebat esse maritum, quæque eam deijcere volebat è lecto liberata est. Ne noxijs quidem morteq. mulctandis nostrorum opera defuit. In his scribæ quattuor ob corruptas tabulas morti addicti vnum è nostris euocarunt: quidam autem ex ijs caluinianam cœnam cum poposcisset, iussus est à patre prius prandere, quam cœnam sumere; erat enim instructum paratumque prandium. Prandij finem cohortatio Patris excepit, quæ ad expianda per confessionem facinora tres induxit. quartus, vt æquiore animo socios post confessionem vidit, tum etiam ad ferendam mortem alacriores, ipse quoque, & sociorum & Patris hortatu, confessionem suam instituit, eamdemq. quoniam quædā illi exciderant, iterauit. Venio ad ea, quæ palam cum hæreticis gesta sunt, & vt pauca de multis commemorentur; in concionibus omnes hæreticorum latent insidiæ, hoc potissimum vtuntur præsidio ad capiendos simplices. cum in pago proximo infra vrbem concionatorem suum haberent, nequaquam eo vno contenti, alterum supra vrbem in alio pago extorserunt à Rege, vt nimirum propter accessum & recessum maris octauo quoquie die ad alterum

rum pagum mane traijcere, & a prandio redire commode possent. Missus est igitur eo frequens Sacerdos magno scilicet rusticorum rogatu, vt quoniam Catholici in eo pago sunt omnes, ad conseruandam religionis integritatem id saltem haberent præsidij. Et est sane mirandum plebs illa agrestis ac plane rudis, quanto odio insectetur hæreticos. Iesuita vt ferebatur esse venturus, tanta illuc e diuersis locis hominum multitudo confluxit vt eam vix templum ac cæmeterium caperet. Ex eo tempore è re catholica visum est vt quoties eo concessissent hæretici, toties vnus mitteretur è nostris. Disrumpuntur quod ne vnum quidem ad suas hæreses pertrahant, eiusque rei causam in nos conferunt, quæriturq. sæpe minister pro concione de suorum paucitate fidelium; sic enim sese appellãt, nec dubitant nos palam orationis libertate perstringere. Burdegalæ domum emerat Hæreticus quidam, quam extrinsecus elegans Dei matris nobilitabat effigies. Quid non tentauit vt eam amoueret? modo monachis quibus cum conuenerat dicebat esse donandam, modo certo templo dicandam, denique parietem uafer homo deturbat, vt nouum construat; non quidem parietis ducendi sed signi reuellẽdi consilio: Catholici apud quos vnus è Societate concionabatur, rem deferunt ad senatum: actaq. sedulo causa, publico iudicio effigies illa multo quam antea restituitur elegantior. Ex hæresi qui emerserunt dum pristinum statum cũ præsenti conferunt, prædicant se vel ipsa tranquillitate animi quæ è sacramentorum vsurpatione consequitur, tantò magis in religione firmari. Vnius præcipue fuit ab hæresi

resi discessus illustris, qui antequam sanus esse cœpisset, quoniam doctrina & eruditione pollebat, omnem Caluinianorum insaniam facile superabat. is & philosophum se profitebatur & Theologũ; fuerat in germania, fuerat Gebennæ in hæreticorũ cœno atq. colluuie; nec satis habuit animũ suũ prauis opinionibus infecisse, nisi huc profectus alios quoq. multos inficeret. fuit ille quidem Caluinianus, sed multis capitibus egregius discipulus à magistro suo Caluino dissentiebat. quod vbi senserunt hæretici, nefandorum scelerum reum faciunt; comprehenditur, in carceremq. conijcitur: sed suam ipse causam in senatu sic egit, vt se eximeret à calumnia. Nostros autem sibi in carcere ante negatos accersit, ijsq. quattuor de præcipua religione quæstiones ad expediendum proponit. disputat ipse principio aliquantulum, sed patris se monentis rationes vt audiuit, vix fletu temperans ad detestandam hæresim se se parat, nostrorum apud Deum suffragationes postulat. ac ne multa, diuinitus factum est, vt iam suorũ peccatorum memor, & anteactæ vitæ dolore saucius, reiectis hæreticorum machinis, qui clam palamq. hominem impedire conabantur coram Archiepiscopo ante aram maximam maximi templi eleganti oratione hæresim eiurarit, fidemq. ex præscripta a Tridentino concilio formula solenni ritu professus sit.

RHVTENENSE, ET MAVRIACENSE.


R*Hutenensis Collegij scholæ septingentis circiter auditoribus constant, & cum multi de Societa-*

te iam cogitant, tum duo tantum in præsentia recepti, ceteri in aliud tempus reiecti sunt. Milliacenses pueri (est autem Milliacum hæreticorum vrbs) hæreticis orti parentibus discendi causa quam primum ad nos se conferunt. A parētum religione semel auulsi, non modo vt sint Catholici enitūtur, sed etiam vt Christi consilia in cœnobijs sequantur vehementer optant. vocati in suorum ministrorum concilium parentes, publiceq. correpti, quod suos ad nos liberos mittant: audacter libereq. professi sunt, nolle se committere vt liberam filiorum voluntatem in eis rebus, quæ ad religionem pertinent cogant, si eos Catholicorum disciplina delectet, eam sane sequantur, liberum esse cuiq. religionē quam optimam putet, amplecti. Quodam autem in oppido cum quidam noster conciones haberet, confluxerunt illico Milliacenses ciues, factumque est vt in ipsa Milliacensi vrbe, libere Missæ sacrificium offerretur; cum quidem diuino quodā numine afflati pueri, hæreticis (vt dixi) nati parentibus cateruatim ventitarent ad Missam, tanta cum pietate ac studio, vt ē parentū domibus sese inuicem euocarent. Et quamuis interdū ob eam causam ministrorum iussu plectantur; constanti tamen animo negant se ab audiendis sacris abesse posse, neq. vllis terroribus minisq; cedunt.

Mauriaci non modo domi habitæ sunt, sed etiam in hæreticorū finitimis oppidis cōciones, ex quibus is consequutus est fructus, vt hæresim multi reiecerint. Sedatæ sunt etiā iræ discordiæq. per sæpe. quarū vna tāto cū odio duos inter nobiles extitit, vt nulla alia ratione nisi duello sedari posse videretur. iamq. ex vtraq. parte


fami-

familiarium facta manu veniebatur ad arma, cum pater è nostris alterum inimicum alloquutus docuit quam nefarium esset id genus pugnæ, quamq. à Christianis institutis abhorrens. ea cohortatione rem, Deo iuuante, cōposuit. Gymnasii auditores tribus distincti classibus fuere quingenti. Cum autē studia litterarum anniuersaria consuetudine reuocarentur, proposito in finitimis vrbibus librorum indice, qui explanandi essent, hæreticus cōcionator, vel rei veritate vel suorum auditorum in nos beneuolentia adductus, instituti nostri rationem frequenti populo commēdauit, hortatusq. est parentes, vt suos quisque liberos in disciplinam nobis tradere non dubitarent. Ex hac prouincia Aduentus Quadragesimæq. temporibus in agrū Santonicum missi de nostris, cum multa fecerūt, quæ cum superioribus annis fere consentiunt, tum prauam eorū consuetudinem sustulerunt, qui generali peccatorum confessione contenti, qualem in sacrificio missæ præfamur, de sacramentali singulorum confessione non laborabant. Quædam autem honesta mulier passuū millia viginti hac vna de causa ad nos contendit, quæ animo quidem Catholica, multa palam indigne fecerat, vt coniugi ceterisque hæreticis conuictoribus satisfaceret: annosque iam octo sacramentorum fructu caruerat.



PRO-

PROVINCIA LVGDVNENSIS.



Eptem hæc prouincia sedibus continetur, socijs centum amplius ac sexaginta. Lugdunensis tres numerat & viginti. Turnonensis quinque & triginta. Anemonensis duodequadraginta. Billomæa quattuor & viginti. Camberiacensis tredecim. Diuionensis vndeuiginti. Decem minus Dolana. Vita functi sunt duo, ad Societatem se aggregauere viginti.

COLLEGIVM LVGDVNENSE.

ILlustris fuit erga Lugdunensis Collegij socios diuinæ prouidentiæ cura: qui cum in apertis pestilẽtiæ periculis versarentur quippe quæ continẽtes iam ædes inuaserat, semper tamen fuerũt incolumes. Nec sine causa; voluit enim Dominus opis aliquid afferri ijs, qui non minus animo quam corpore laborabant. nã cum tertium iam annum quos pestis teneret omni salutari præsidio carerent, nostri ciuium rogatu hoc oneris susceperunt, vt apud eos & cohortationes haberẽt, & bis terue in hebdomada rẽ diuinam facerent. plurimiq. nostrorum monitis pro sua incolumitate vota facientes spoponderunt B. Mariæ dicata templa se lustraturos, quod & frequentißimi postea cum Sacerdote nostro fecerunt. Per idem tempus cum pestis vitan

dæ causa nonnulli è nostris vrbe cessissent, locosq. propinquos obijssent, rudes populos ea, quæ ad animi salutem pertinent docuerũt. Pagus quidam hæreticus est, quo ex alijs pagis ad audiendum Ministrum plurimi confluebant: nostri quanquam garriente & obluctante ministro suis concionibus perfecerunt, vt multi eo relicto sese tranferrent ad nostrum. præsertim quod inaudierant, eum & congressum vitare nostrorum, & de religione certamen. Itaq. Deo bene iuuante hæresim eiurauere complures. Scholæ multis iam mensibus intermissæ, octobre ineunte, reuocatæ sunt. Ex ijs prodeunt adolescẽtes non minus pietate quam doctrina præstantes. Vnus parentibus natus hæreticis, non raro male acceptus à patre, quod & Geneuam proficisci nollet, & Catholicorum more viueret, non modo constanter in suscepta religione permansit; verumetiã postea, mortuo parente cum ipse quoque grauiter ægrotaret, multis precibus à matre contendit, vt quando iam supremus dies adesset, aduocaretur de Societate Sacerdos: negauitq. se quicquã è præscriptis pharmacis hausturum, nisi prius animum confessione purgasset. Ergo Sacerdotem quem quærebat accitum, expiatisq. rite peccatis morientem ne se desereret obsecrabat: verebatur enim æger, ne si pater abiret, simulato religiosi viri ornatu, id quod in parentis obitu factũ est, minister induceretur hæreticus. Quare tamdiu apud eum Sacerdos ille fuit, quamdiu animam Deo redderet. Frater autẽ natu maior peccata Patri confessus, cum ad id tempus fuisset hæreticus, factus est repente Catholicus.

L TVR-

TVRNONENSE.

E Turnonensi Collegio ad varias de more regiones itum est. In oppido, vbi vigesimum iam annum dominabātur hæretici, multæ sunt confeßiones exceptæ, eorum præsertim, qui numquam erant antè confeßi. Multi ad Ecclesiam Catholicam reuerterunt, effectū que, vt quod templum ab hæreticis esset euersum, interposita Domini Turnonij auctoritate, eorumdem etiam instauraretur expensis. Supplicationes toto Delphinatu cum insigni celebritate decretæ, vt interdum octo hominum millia, sublato conditionis ætatisq. discrimine, nudis pedibus, frequentibus imbribus ad longinqua loca prodierint. Abest Turnone vrbs quædam, quam Romonum vocant, paßuum millia nouem. in ea extitit repente tanta vis erucarum, vt etiam priuatarum ædium parietes, mensas, lectos, pauimenta contegerent. Ciues rei nouitate perculsi, petere ab eo opem qui quondam simili pœna affecisset Ægiptum; decretisq. nostrorum hortatu supplicationibus, omnis illa erucarum vis depulsa est: quin ipsi quoque ciues solito meliores effecti, concionatorem summis precibus postularunt. libros hæreticos protulerunt, templum diu iam neglectum, ac prope dirutum restituerunt.

Aliæ porro Prouinciæ Decreto Regis lustratæ sunt. in his Viuariēsis Diœcesis. cuius nobilitas tam virorū quam feminarum Ecclesiæ Sacerdotia vi occupat. ex qua re multæ iam cædes extiterant, digladiantibus inter se nobilibus, qui primi in Ecclesiæ reditus inuolarent.

rent. Ad Regem delata res est, vt prouinciæ statu perspecto, ei quoad fieri potest occurrat. Oppidum est in Delphinatu quadraginta amplius millia passuum Turnone distans, quod bellis ciuilibus erat veluti quoddã hæreticorum asylum; in eoq. rerum potitur opulentus quidam hæreticus. Catholici, qui cũ hæreticis promiscue versantur, certum hominem, qui concionatorẽ postularet, ad Rectorem collegij legarunt. Is cum propter penuriam hominum negaretur, nuncius aduolutus ad genua, Rectorem cum lacrimis obsecrauit, ne Christi oues omni præsidio spoliatas inter lupos versari pateretur. eius lacrimis precibusq. dati sunt duo, qui duodecim ibi dies tanto hominum concursu concionati sunt, quantum diu ante nemo meminerat: & quod magis mirãdum est, ipsis quoque profestis diebus cum suo quisque munere occupatur. cum vero opifices, ne matutinam concionem amitterẽt, tardius mane reuerterentur ad opus, vehementerq. qui eos mercede conduxerant, quererentur, respondebant malle se pecunia, quam concione carere.

Fons est ad quintum lapidem recens inuentus, præruptis montibus ita conclusus, vt nisi quis deorsum se ex alto demittat, eo penetrare non possit. Quoniam vero aqua illa tanquam optimum medicamentum habetur, magna illuc ex omni hominum genere turba confluit. Venerat & minister hæreticus, vt apud suos concionaretur, & Caluinianam cœnam obtruderet, quod vbi nostri senserunt; eo ipsi quoque, vt illam pestem auerterent, contenderũt; hominem.q. cum conuenissent, theologiæ thesibus, quæ in Collegio propugnandæ es-

 sent,

sent, oblatis, ad disputationes inuitāt. ille certamen abnuit, quod latine nesciret. tū maximo suorū pudore repēte dilapsus, nusquā amplius comparuit: ita peste illa sublata facilior patefactus est aditus ad catholicos instituendos. Principio Venerandæ crucis insignia non procul à fonte cum lacrimis canticisq. defixa sunt. ad eamque sæpe diuinæ res factæ, sæpe scelera expiata multorum. Bibliopola ibi erat hæreticus, qui libros item vendebat hæreticos: nostri, vt ei incommodo mederentur, alium Catholicum, qui Catholicos è regione proponeret, euocarunt. Visum est Catholicis quasi quoddam de cœlo robur allatum; hæretici vero perinde animo consternati, ac si graui aliqua tēpestate perculsi essent. Superiore anno propositis tum philosophiæ tum theologiæ thesibus, Nemansenses ministri libello in eas edito nescio quid calumniati sunt: nostri hoc anno iisdem repositis thesibus, epistoláq. qua facti ratio continebatur, adiecta, hæreticos illos ad disputationem inuitarunt. Vbi disputationum dies affuerunt, quæ diebus quinq. habitæ sunt, sella semper iis in arena seruata est, sed semper inanis. cumq. de superiore loco theologus ministros illos, antequam quemquā alium ad disputandum admitterent, inuitasset, nemo vnquam comparuit. Affuit tantum Doctor quidam hæreticus, qui vt certamē iniret, peramice rogatus, nunquam tamen adduci potuit. Ita mirum silentium inter hæreticos consecutum. quibus cum etsi cominus agi nō potuit; eminus certe agetur. excuditur enim liber in eos, vt ei, quo theses nostras exagitarunt, respondeatur. cui si vicißim respondere velint, næ illi prius theo-

logiam

logiam & litteras docendi sint.

AVENIONENSE.

Avenionensi Collegio Probationis domus adiuncta est. ea complures hoc anno adolescentes admisit, qui egregie cum parentibus decertarunt. Vnus matrem hæreticam suspirijs & lachrimis prope confectam, quæq. ad eius pedes, ne se desereret, supplex abiecerat, fortiter repulit. Alij è priuatis parentum custodijs elapsi, magno sibi paupertatem Societatis emerunt; præter eos qui etiam num custodia tenentur inclusi; quorum tum perspectus erit euentus, tum demum de illorum pugna & victoria dicetur. Extra Vrbem cum alij alio missi, tum ad Nemansenses præcipuo cum fructu. Est Nemansum Galliæ ciuitas Narbonensis, propugnaculum hæreticorum. Hic diu nostri non sine aperto vitæ discrimine commorati septingentos amplius ad Ecclesiam Catholicam reuocarunt. Et confitentes cum de ciuitate per multos, tum è vicinis oppidis audierunt. in ijs senem octogenarium, cuius cũ & domestici, & oppidani omnes essent hæretici; numquam tamen aut prauis eorum opinionibus assentiri, aut conciones audire, aut eorum inire cœnam voluit; ac ne ijsdem quidem precationibus interesse. Is igitur triginta amplius millia passuum ad nos profectus, tanta animi pietate, mœroreq. confessus est; vt ne ab homine quidem vrbano & catholicis moribus expolito, nẽ dum à rustico atque impolito expectare tam multa potuisses. Discipulus quidam tredecim circiter

natus annos ab hæretica matre Turnonem ad Collegium missus, ad auitam religionem se transtulit. quo cognito hæreticorum ministri, dum anathematis metu territant matrem, fecerũt, vt ea Nemansum puerum reuocaret. quo cum venisset, & Patrem nostrum offendisset, vsque adeo confirmatus est in sententia, vt ministrum totius Galliæ Narbonensis facile principem sibi insidiantem, minitantemq. reiecerit. cumq. res progrediente tempore, si à nostris puer abesset, non carere periculo videretur, fugæ ille consilium cœpit, Auenionemque venit, vbi victum potius sibi quæreret mendicando, quam ut susceptam semel religionem desereret. Sed mater miseratione commota non est passa quicquam à filio desiderari.

BILLOMAEVM.

FRequens est in hoc Collegio Gymnasium, & quanquam grauis hoc biennio pestilentia ciuitatem occupauerat, mille tamen supra quingentos discipulos numerauit. Confessiones sunt auditæ complures, sed vninersæ vitæ ab vno & eodem Sacerdote trecẽtæ, ab alio ducẽtæ, aliæq. item ab alijs, quæ nullo certo numero finiuntur. Mulier quædam apud nos Sacramentorum vsu ita profecit, vt acceptam in re domestica cladem non solum ipsa moderate ferret, sed ad eamdem animi æquitatem Generum hortaretur. Plenum horreum ignis inuaserat, nec tamen tristior effecta, aut tritici cœpit angi iactura, aut diuinis desperare præsidijs; sed æquo animo ad incendij locum profecta, fusis

ad

ad Deum precibus, quasi quibusdam aquis ignem extinxit. Lites praeterea multae diremptae. in his vna quae inter principes viros exstiterat, quae res eo gratior & admirabilior est visa, quo saepius ante tentata nunquã successerat. Foris non minore fortassis vtilitate, quam domi versati sunt nostri. prauae consuetudines de tẽplis sublatae sunt. tabernae, & Cauponae, quae festis diebus à multitudine celebrabantur, exinanitae, proposita graui multa, si quis in posterum ad eas diuerteret. Ad Ecclesiae fidem reducti complures: à superstitionibus magicisq. artibus, quae in hisce Auerniae montibus plurimum vigent, auocati non pauci. rustici, quorum agri ante annos aliquot grandine tacti erant, cum magum qui eam calamitatem auertere se posse iactabat, accire vellent; nostri fecere, vt ab ea cogitatione desisterẽt denique haec & alia de genere eodem domi forisque sunt gesta. Camberiaci multum incrementi diuinares cepit. nam cum antea vix pauci aliqui saepius, quã quotannis semel confiterentur, nunc primo cuiusque mensis dominico die tam multi ad eluendas animi labes, tum sumendum Christi corpus accedunt, vix vt Sacerdotes quinque satisfacere aeque omnibus possint. Quidam Gebennensis haereticus auditus est, qui morbo pressus, cum ne tum quidem, vt eiuraret haeresim, adduci posset, nostris adhibitis ita diuinitus est permotus, vt Ecclesiae Rom. imperio se sponte subiecerit: nec ita multo post, sacramentis omnibus expiatus vita migrarit. Quidam toto capite intumescens aspectum penitus amiserat, vitam etiam propemodũ amissurus, nisi peccatorum confessione, & valetudinem

recuperasset & lucem. Dissidia etiam sublata duorum fratrum è prima nobilitate. quorum alter cum duodecimum iam annum, nullos liberos ex vxore suscipe ret, quoniam nostris auctoribus in gratiam cum fratre rediit: filium mox suscepit, eumque à Deo datum tanquam reconciliatæ pacis pignus agnouit.

Dolæ, *quæ Vrbs est in comitatu Burgundiæ, hoc anno primum Societatis Collegium institutum est. à tribus magistris initium docendi factum est. Nostra autem instituendæ iuuentutis ratio valde probatur, acciditque vt cum publico in hospitio quidam verbis vteretur obscœnis, à puero Gymnasii admoneretur, ea christianum hominem non decere. cumq. ille puerum, vnde ea didicisset interrogasset, respondissetque puer à Iesuitis, tum & admonitionem æquo animo tulit, & suos ad nos liberos, vnde bene viuendi præcepta peterent, missurum se dixit.*

MISSIO EBREDVNENSIS, & Sedenensis.

E*Bbreduni, quæ superioris Delphinatus metropolis est duo de nostris sane quàm vtiliter commorati sunt. nam & schola, quo quadringenti circiter auditores ventitant, aperta est, & confessiones exceptæ multorum, præsertim cuiusdam inter hæreticos ducis, qui Nigrorum indutus ornatu (sic enim genus quoddam sodalium appellant) sacratissimum Christi corpus non sine magna omnium admiratione suscepit: & quod maius est suos omnes ad eamdem Ecclesiæ religio-*

gionem adiunxit. Idem à femina factum genere non obscuro; quæ hæreticis nata parentibus, & in Biblijs vulgari idiomate Gebennæ editis diu multumq. versata, tandem concionibus permota nostris ad Ecclesiam Catholicam se decreuit adiungere. cumq. iam inde à prima ætate susceptas animi labes elueret, tanta vis lacrimarum oborta est, vt præ doloris magnitudine institutam non semel confessionem abrumperet. Nũc non ipsa modo magna cum laude in instituto permanet, sed de reducendis ad ouile Christi domesticis vehementer agit. Itum est & Sedenũ, quæ in Allobrogum finibus sita est, tutißimum hæreticorum hac tempestate perfugium. Eo igitur nostri profecti Gubernatorem vrbis quãuis hæreticum impulerunt, vt Missæ sacrificium nonum iam annum intermissum reuocaretur: ea re impetrata, quattuor circiter mẽsium spatio, tantũ illi quotidianis concionibus profecerunt, vt homines bis mille ac sexcentos à peccatis absoluerint. ac principio quidẽ id modo factitabatur à pueris: sed puerorũ tantũ valuit exemplum, vt viri deinceps feminæque primariæ eorum sequi vestigia nõ dubitarint. Sed pœnitentium is numerus fuit, vt ratio facile non putetur. Caluinistæ tredecim ad sanam sunt reuocati doctrinam: eorum vero, qui hæreticorum accepta cena in fide Catholica fluctuabant, confirmati quingenti. Non numquam autem & cum ministris vtiliter dimicatum est non sine magno hæreticorum dedecore ac probro, qui vel è pugna discedebant inferiores; vel pugnam ipsam disputationemq. defugiebant. Et quoniam inter hæreticos agebatur, distribuenda fuere Ca-

*tholicis, quæ Catholicorum sunt propria. Itaque ce-
rea cœlestis agni simulacra tributa tanto in honore à
Catholicis habebantur, vt eorum beneficio multa di-
uinitus exorarint. Religiosa mulier ex his ceris parti-
culam duntaxat quamdam in ora vestis cuiusdam de-
lirantis feminæ consuit. ea fuit tum sacræ illius ce-
ræ vis, tum incensæ mulieris fidei, vt continuo fa-
cta sit sana. Aliæ cum viros haberent immites &
feros, eosdemq. hæreticos, clam in eorum thoracibus
caligisue hac eadem cera consuta, leniſsimos sibi &
mitiſsimos reddiderunt. quo factum est vt in pieta-
tis officijs nullo iam suis coniugibus impedimento sint
viri. Ancilla item dæmonem, cui se deuouerat, adue-
nientem, se seque horrendis vociferationibus territan
tem sacris agnorum ceris, quas collo gestabat, abegit.
Mulier alia sic agitabatur à dæmone, vt varijs corpo-
ris partibus intumesceret; sed nostris suadẽtibus aqua
lustrali, Eucharistiaque adhibitis magno cum Catholi-
corum, tum hæreticorum stupore liberata est. ea po-
stea cum rogaretur, cur Patris digitum sibi in os inie-
ctum non momordisset, Quia, inquit, violari Sacerdos
nullo modo potest. Gratiarum reconciliationes factæ
non nullæ, præsertim inter matrem & filios ex honesta
nobilique familia; qui cum mutuis odijs ita flagrarent,
vt ne Gubernatoris quidem auctoritate mitigari pos-
sent, expiatis confeſsione animis, Christique corpore
apud nos sumpto, tantum illis Christus attulit virium
vt propinquorum omnium celebrato conuiuio commu
nis gratulationis indicio, mutuis se se complecteren-
tur amplexibus: cumque Ecclesiasticum Sacerdotium
multos*

multos iam annos nefariè possiderent, continuo id eius loci Sacerdoti reliquerint. Alia Mater cuius filia hæretico nupserat, cum ab vtroque grauiter dissideret; nostri conciliatis animis impetrarunt, vt filia, quæ hæresim iam hauserat, vna cũ parente confessa communicarit: Gener autem magnam resipiscendi spem dederit.



PRO-

PROVINCIA TOLETANA.



Allia peragrata Hyſpaniarum Prouincias ingredimur. in quibus, vt in multis Italiæ locis fecimus, aliiſque nonnullis, præcipua huius anni acta, ſumma breuitate complectar. non enim hæ Prouinciæ eas habent rerum gerendarum occaſiones, quibus abundant aliæ quædam, vbi tum hæreticorum crebra conuerſio, tum prodigiorum magnitudo ſæpe contingit. Nobis autem, vt initio ſignificauimus, propoſitum eſt, quæ eminent, ea duntaxat afferre: ordinaria vero & quotidiano iã vſu contrita relinquere; vt admirationi nemini eſſe debeat inæqualitas narrationis, quam ipſa locorum fœcunditas moderatur. ipſa enim ſoli bonitas, quæ non ita magna cultura indiget, nec tam latum campum ad res gerendas aperit, ea ieiuniorem efficit narrationẽ. Quod ſi frequens myſteriorum vſurpatio, ſi concionũ vtilitas, ſi hominum corona atque concurſus, ſi omnes gratiarum reconciliationes, omnis morum mutatio, omnis animorum conuerſio, omnia denique officiorum ſtudia in ſingulis ſunt notanda Collegiis, nemo non videt, quantam ſatietatem allatura ſit tam moleſta & tam crebro earumdem rerum inculcata narratio. nullum eſt enim fere Collegium vbi non hæc gerantur. itaque conſultius fore viſum eſt, & vero laudabilius vnicuique Collegio, ſi de ipſo quotidiana vt dixi ac trita

mittantur, quam si hæc ipsa propter rerum inopiam studiosius vndique conquirantur. Versantur igitur in Toletana prouincia, vt ab hac ordiamur, socij fere quingenti ac sexaginta. Sedes quindecim. In Toletana domo sexaginta. totidem in Madritano Collegio, atq. in Probationis Domo Villaregensi. In Complutensi centum ac decem. In Toletano vndeuiginti. In Murciano quadraginta. In Occaniensi & Talabricensi in singulis viceni. In Placentino duodetriginta. Totidem in Huetensi. In Belmontensi quinque & viginti. In Conchensi vnde triginta. In Sicuritano sex & viginti. In Carauacensi vndeuiginti. In Naualcarnerano septemdecim. Auctus Sociorum numerus plus minus septemdecim. Septem vero obitu imminutus.


Ineunte anno Kal. Ian. qui dies Societati nostræ festus est, habuit in Toletana domo concionẽ Iaenensis Episcopus celeberrimo hominum conuentu, præsentibus Toletanæ synodi Episcopis, Principibusq. permultis. Missæ Sacrificium Conchensis fecit Episcopus. Eodem ferme apparatu celebritateq. festus dies actus est B. Ilephonso Vrbis Patrono, qui in his ipsis nostrorum ædibus natus dicitur. Sacrificauit Cordubensis Episcopus. concionem Siguntinus habuit. quanquã reliquis anni temporibus maxime celebratur hoc templum, celebritatique respondet fructus vberrimus. Toleti hoc anno primum à Toletano Cardinali Societatis Collegium constitutũ est ciuitati per vtile. Apertum est Gymnasium v. Kal. Nouemb. habita à nostris oratione coram nobilitate præcipua. auditoresq. iam septingenti scholis quinque distincti numerantur. Acces-

cessit & B. Virg. sodalitiũ, quod vt se dant initia frugẽ pollicetur vberrimã. In Madritano Collegio diẽ obijt Io. Harlemius Flander spectatæ virtutis & doctrinæ Sacerdos, qui cum in morbum incidisset, quanquam spem ei salutis Rector afferret, prædixisse dicitur eo sibi morbo pereundum esse: cum Medicus certo illi die tẽpus mortis definiuisset, ipsum dixisse pridie eius diei, qui dicebatur à Medico, sibi esse moriẽdum: quod comprobauit euentus. cum vero Ecclesiæ ritu pro moribundo preces funderentur, ventumq́. esset ad eas precationes, quibus migranti animæ pericula deprecamur, ad Rectorem conuersum (is enim agenti animam præsto erat) ita dixisse, satis est Pater, actum est: atq. ita spiritũ edidisse; vt ijsdẽ pene verbis vitã clauderet seruus, quibus olim clauserat Dominus. Magna est Madridij tum nobilium virorum, tum Imperatricis aliorumq. è regia familia pietas, studiumq. erga Societatem. Confitẽtium vero vis tanta, vt ne triginta quidem Sacerdotes, quotquot hic degunt satisfacere queant. Curatũ est in his locis, vt flagitiosæ mulieres, quæ ad honestatem reuocabantur, tum in certis sedibus collocarentur, tum piorum liberalitate sustentarentur. nam cum antea nullas haberent huiusmodi sedes, sæpe fiebat, vt ad suas sordes, vnde paulo ante emerserant reuoluerentur: nunc peccãdi materia subtracta in officio se continent. Gymnasii numerus idem, qui superiore anno, ex eoque prodeunt cœnobitæ permulti ea probitate ac virtute, vt cœnobia ipsa testentur eos, qui hinc prodierint tirociniũ subsidio non egere. vnum & idem cœnobium annuo fermè spatio de nostris auditoribus

ribus denos accepit, facile vt appareat B. Virginis sodalitatis quanti sint fructus, quæ ipsa quotidie magis augetur & confirmatur. E Complutensi *Collegio cum alij multi collecti sunt fructus; tũ ex eo duodecim virtute atq. ingenio præstantes adolescenlentes in Societatem adscripti sunt. Ea est autem apud hos ciues, Societatis existimatio: vt mirum videri non debeat, si tanti fiant ad scholas nostras concursus, & tam copiosa percipiatur vtilitas.* Murciæ *philosophia tradi cœpta est. In Occanensi oppido primarij quidam viri qui multos iam annos intestinas alebant inimicitias, in mutuam gratiam redierunt, eademq. nostrorum opera totum ferme oppidum, quod in diuersa studia distrahebatur, ad pacem concordiamq. reuocatum est.* E Placẽtino *duo ad nos transierunt,* E Belmõtensi *tum ad Societatem nonnulli, tũ alij ad alias familias. & quidem cum Franciscanorum familiã suos de more conuentus ageret, plurimi in ea reperti sunt alumni disciplinæ nostræ, qui ipsi quantum his scholis debeant & agnoscunt & prædicant.* Carauacæ *& si id oppidum non magnum est, frequens est sacramentorũ vsus: communicantium capita tredecim millia circiter censa sunt, plura etiam fuissent, nisi Sacerdotum penuria, qui pænitentibus operam darent, laboratum esset. Sunt Carauacæ, qui nostrum vitæ genus vehementer expetunt, duo tantum impetrarunt. Instituta est Rosarij sodalitas, vnde insignis expectatur vtilitas. Reliqua eundẽ tenẽt cursum.*

PRO-

PROVINCIA CASTELLANA.



Vingenti in hac prouincia & 60. socij duodeuiginti sedibus continentur. In domo Professa Vallisoletana duo de quadraginta numerantur. In Medinensi probationis Domo quadraginta. In Domo probationis Villagarsiæ quattuor & triginta. In Salmanticensi Collegio septuaginta. In Vallisoletana quattuor & triginta. In Burgensi tres & quadraginta. Vno minus in Abulensi. In Segobiensi triginta. In Palentino duodetriginta. In Collegio montis Regalis tres & viginti, qui tamen numerus auctus est ad triginta quinque. In Omnatensi decem. In Lucroniensi triginta. Totidem in Legionensi. Viginti circiter in Numantino. In Ouetensi sexdecim. In Compostellano quattuor & viginti. In Bellimarensi sexdecim. In Pompeiopolitano non plures nouē. Decem ex vniuersa Prouincia mors abstulit. Pro his à Deo redditi quattuor & triginta.

VALLISOLETANA DOMVS. & alia collegia.

Q*Væ nostrorum laboribus in Professorum Domo sunt parta, multa quidem ac præclara sunt sed persequi singula non est necesse. Quidam, vt inimicum vlcisceretur præparato veneno, non modo ab ea* cogi-

cogitatione deterritus est, verum etiam cum inimico reductus in gratiam. Sacerdos, qui sibi vim decreuit inferre, ab insania illa reuocatus est. Alijs vero, quos sua scelera ad suppliciũ mortẽq. damnarant, sæpe consultũ. Sed illud non minore laude dignũ, quod cum morbus hoc anno plurimos occupasset, multiq. propter egestatem in vijs publicis interirent, nostrorum industria nouũ quoddam Nosocomium perfectum est ad fouendos eos, qui communis valetudinarij excludebãtur angustijs. Septemdecim ex hac Domo alij alio ad animarũ lucra profecti sunt: impositusq. finis discordijs perniciosis, atque in his infestum partibus oppidum ad pacem & concordiã reuocatum. Medinensis Domus duodecim ad Societatem adscripsit. Data est opera, vt ijs qui rei familiaris inopia in peccatorum cœno delitescebant, pecuniarum inde subsidijs extraherentur. Res accidit in hac ciuitate sane grauis, quæ omniũ iudicio armorum causa putabatur. sed Dei ope, irarum fonte sublato, nascenti malo celeriter est occursum. Alius item è nostris duos populos veteri inter se odio dissidentes reconciliauit. In domo *Villagarsiæ solitudo ipsa lociq. recessus multos, eosq. de principibus viris ad contemplationem piarum rerum more institutoq. Societatis allexit. Matrona nobilissima Magdalena, huius domus Fundatrix insignis sex aureorum millia & eo amplius ad ædificandum dono dedit.* In Salmanticensi *Collegio præter ceteros laborũ fructus ad Christum adiunctus est Turca: atque hic moriens mille scutatos Collegio reliquit.*

Burgense *domicilium cum ante Professorum vsi-*

bus deseruisset, hoc anno ad domesticam litterarum disciplinam vt olim fuerat, translatum est. Nam Ciuitas, quæ quondam florebat opibus, propter commercium, quod cum Flandris, Anglis, ceterisq. negotiatoribus ei erat, postea eo sublato in eas fortunarum angustias venerat, vt sustentari in ea Professorum Domus ciuium liberalitate vix posset. Ex altera parte ad constituendum, fundandumq. Collegium reditus quotannis offerebantur idonei, nullo conditionum onere, nullo Fundatoris nomine postulato. Quod cum recusari sine graui tum Archiepiscopi, tum ciuium offensione, qui vltro nobis, vt acciperetur, instabant, minime posset; visum est R. P. Generali (approbātibus etiam ferentibusq. per litteras suffragium Prouinciali, duobusq. Professis antiquissimis, quemadmodum constitutiones nostræ præscribunt) Professorum domum, quæ retineri vna cum Collegio per opes ciuitatis minus commode poterat, in Collegij formam sedemq. redigere. Itaque in eo iam Gymnasium quaternis distinctum scholis expositum est celebri auditorum conuentu, eiusq. patrocinium Archiepiscopus ipse suscepit. Franciscus vero Sarmentus Iaensis Episcopus pro ea, qua est in nostrum ordinē voluntate, ac singulari beneuolentia, dedit in eam rem aureorum millia quatuordecim. quare Deo fauente ex animi sententia cadunt omnia. Nec vero quæ ad litteras pertinent, ea tantum studiose curantur, sed reliqua etiam Societatis munera cum laude obeuntur. Duo qui annos quadraginta secus, quam decuit vixerunt, ad officium ope auxilioq. nostrorum se retulerunt. Fratres

item

item, inter quos inimicitiæ veteres & quæ ad mutuam cædem spectare videbantur, exarserant, placati inter se sunt. quibus conciliatis, iræ aliæ odiaq. multa posita sunt. In hoc Collegio præter eum sociorum numerum, quem supra descripsi, Archiepiscopi rogatu resident alij duodecim; quorum ipse opera in lustranda sua diœcesi, quæ longe lateq. patet, ad arbitrium suum vti posset. cum Archiepiscopo aliquando profecti, mensium spatio circiter quinque vna fuerunt, cumque ex ijs ille modo in hanc, modo in illam Oram pro cuiusque Oræ necessitate dimitteret, semper tamē apud se quattuor habere voluit, qui eorum confessiones, quos ad id pro concione cohortabatur, exciperent. Res ad lætitiam & exemplum erat insignis, cum oppida vniuersa a suis expiata peccatis de eiusdem pastoris manu pabulum cæleste susciperent. Non multo post cum Sacerdotibus octo rursus alias suæ ditionis partes Pastor obiuit. cumq. in tam pijs laboribus quemdam è nostris vita defecisset, velletque Rector ad Collegium transferri cadauer; ea fuit populi pietas in eius corpore retinendo, vt à se distrahi, diuelliq. non pateretur. cum autem eius Ecclesiæ loci ea de re vnaquæq. contenderet, litem dirimens Archiepiscopus in æde maxima condi iussit, vbi celebri pompa concursuque populi curatum est funus, habitaq. ab Archiepiscopo concio. In Palentino *Collegio traditæ sunt Societatis meditationes viris multis de præcipuis. Quattuor autem nostrorum opera ad varia se contulere cœnobia. Ad opus templi complures comparatæ sunt ædes ad eamque rem via quædam publica à ciuitate con-*

cessa, quod postea munus suo decreto Rex sanxit.

COLLEGIVM MONTIS Regalis & reliqua Collegia.

Collegium Montis Regalis duodecim hoc anno fratribus auctum est. ij philosophiæ, quæ nunc primum explicari cœpta est, operam dant, Magisterq. qui huic muneri præsit adiectus. Singulis Quadragesimæ ferijs diuerberatio celebris in templo nostro fuit. in Gymnasij classes distributa res erat, vt suus cuique dies daretur ad verberandum. id exemplum ad eandẽ poenam vltro subeundam alios nobiles excitauit. ac sane ipsa iuuentutis institutio ad reliquam regni disciplinam non minimo momento est. profuit huic quoque rei Collegium quoddam nostro proximum, vbi litterarum studiosi numerantur vndeviginti. ij nostræ disciplinæ & institutis obtemperant, ita vt eorum quoq. leges immutare, condere, interpretari in potestate sit nostra. ex eo contubernio prodiere cœnobitæ duo. E Gymnasio vero vnus omnium aptißimus in Societatem adscriptus est. Quod ad B. Virginis sodalitatem pertinet, vnum ad declarandum eius in suos clientes patrocinium non prætermittam. Discipuli quidam quibusdam simul in ædibus tanquam in contubernio viuebant. inter eos erat è sodalibus vnus. sæua tempestate coorta, tanta vis imbrium accidit vt noctu quieti se dare præ formidine nemo auderet. Is quem è sodalitio Dei Matris esse diximus, ad precandum Deum, implorandamq. eius Matris opem

cete-


ceteros adhortatus litanias magna animi consensione vt recitarent induxit:tum quieti se dant. Sed cum tēpestatis atque imbrium vis increbresceret, ædium dominus intempesta nocte consurgens, contubernales clamoribus excitat, & e suis sedibus iubet excedere. illi somno arctißimo consopiti, vix tandē experrecti semi nudi profugiunt: vix e tecto pedem extulerant, cum repente concidit domus, vt iam nemini dubitandi locus relinqueretur, quin eos è præsentißimo periculo Dei mater eripuisset. Ne illud quidem silentio præteribo. infirmißima ætate puella finitimo in oppido cum fari cœpisset, multa de superioribus tēporibus, multa de futuris disseruit, sed in Societatis laudem tam multa vt quotquot adessent studio Societatis incenderet. ea res multos huic Collegio beneuolos & fautores adiunxit. & quoties in eo, quod dixi, oppido quisquam de Societate comparet, repente hominum multitudo cōcurrit, vt ea, quæ ad animi salutem pertinēt, sciscitentur. Sed ad finitimas regiones dimißi alij præter alios peregrinationis suæ fructus valetudinaria in ijs locis, quæ interierant, renouarunt: sodalitatesq. instituerūt eorum, qui misericordia adducti, vel curandos suscipiant ægrotos, vel egenorum sustentent inopiam. Cum ad villam Baionæ oram maritimam peruenissent, non vulgarē ijs hominibus vtilitatem attulerunt; & vt reliqua omittam, institutū est inter milites conceptæ Dei Matris nomine sodalitium (est enim ibi cohors militū in præsidijs) conditæq. leges institutaq. nonnulla, præsertim quæ ad euellendam prauam illam, tum iurandi, tum maledicendi consuetudinem pertinebant. Alio in

M 3 *loco*

loco non magno illo quidem, ſed qui tamen ad alia loca tritum eſt iter, data eſt à noſtris opera, vt quoniam viatores, qui frequenter ibi pernoctant, diebus feſtis ſacrificij opportunitate carebant; Sacerdos aliquis, certo ſacerdotio præditus aduocetur, iſque diluculo, ante quam viatores abſcedãt, diuinam rem faciat: edictoq. graui cautum eſt, ne hoſpitiorum domini abire eos, qui ad ſe diuerterint, patiantur, priuſquam ex Eccleſiæ præſcripto ſacris interfuerint. In Omnatenſi *Collegio duo in Societatem recepti ſunt.* E Lucronienſi *in vicina oppida aliquot excurrerunt, duaſq. in oppido quodam familias antiquis ardentes odijs reconciliarunt. Catherina Enciſenſis matrona nobilis & noſtri ordinis ſtudioſa, cum hæreditatem quandam adiſſet, Societatẽ in hæreditatis partem vocauit. Eius ſumma erit ſeptem circiter aureorum millium.* Ad Numantinum *Collegium cum quidam è noſtris iter facеret, non ſine diuino conſilio aberrauit à via; nam cum multa paſſuum millia in eo errore peragraſſet, & ad quoddam oppidum perueniſſet, vix de equo deſcenderat, cum in eius conſpectu miles vulneratur ad necẽ. Pater confeſtim tamquam à Deo miſſus moribundi confeſſionem excipit. qua abſoluta ille quoque finem viuendi fecit. Medicus, qui nec e Numantina Ciuitate erat, nec vnquam familiam noſtrã nouerat, niſi quantum fama & auditione acceperat, moriens teſtamento Societati legauit nummos aureos ſeptingentos. diſſuadẽtibus id amicis reſpondit, Se, quid ageret, nõ ignorare, multo minus, quam qui incolumes & valẽtes adeſſent. In Ouetenſi ciuitate maximo cuidam flagitio*

quod cum offensione in omnium oculis versabatur, occursum est, eademq. opera multa alia sublata sunt vitia. Qui foras de more missi sunt, strenue in audiēdis pagorum confessionibus versati sunt, vt nonnullis biduum triduumve expectandum esset, dum cōfitentiū turba deflueret: alijs vero etiam in ipso itinere confitenda peccata. Est in hac quoque vrbe ad tollendam iurisiurandi consuetudinē instituta sodalitas. quæ res vehemens medicina fuit ad sanandum hunc morbum. Compostellæ erecta item sodalitas est eorū, qui misericordiæ nomine eis, quos vel pudor vel nobilitas à mendicando deterret, opitulentur, in eam adscribi voluit Archiepiscopus ipse, magistratusq. & nobilissimus quisque. Dominicis vero diebus stipem Canonici duo totidemq. magistratus corrogant. In proximas præterea vrbes itum est, quarum vna intestinis perturbata discordijs, cum excitata esset à nostris de tuendo otio paceq. sodalitas, paci trāquillitatiq. restituta est.

PROVINCIA ARAGONIAE.



Ragoniæ Prouinciæ octo ſunt domicilia. Socij vero ducenti circiter & duodecim. In Domo Profeſſa Valentina, quattuor & viginti. In Collegio valentino duo de quadraginta. In Barcinonenſi triginta. Duo plures in Gandienſi. In Cæſarauguſtano tres & quinquaginta. In Balearico tres & viginti. In Tarraconenſi domo ſex, totidemq. in Gerundenſi Collegio. Interierunt vndecim, quorum iacturam alijs totidem bonitas diuina reſtituit.

Habitæ ſunt in Domo Profeſſa valentina ſingulis Quadrageſimæ diebus, id quod nūquā antea factū eſt conciones. Fructus idem qui e noſtris concionibus ſolet. Religionis deſertor ad religioſam Cænobiorum diſciplinam reductus paucis diebus exceſſit è vita. Sacerdos, qui quotidie fere ſacrificabat, non ſolum peccabat ipſe turpiſſime, ſed ſuo exemplo atq. oratione ad peccandum ceteros impellebat. Facta apud noſtros totius expiatione vitæ à turpitudine illa ad honeſtam & dignam Sacerdote vitam ſe tranſtulit. Femina precibus noſtrorum ac monitis victa, filij chariſſimi necē Deo donauit; quo tam præclaro exemplo pluribus ijſq. magnis cædibus occurſum eſt. E Cæſarauguſtano Collegio ſex in Societatem cooptati ſunt. in his quidem ex Archiepiſcopi aula ac familia, cuius à dome-

ſticis tentata conſtantia fidem nobis fecit, quam ſociorum numero dignus ſit. E *ſocijs in vicina loca dimiſſis inſignis extitit fructus, vt etiam oppida quædam de aduocanda Societate cogitarint. Itum præcipue eſt ad Pyrenęos Montes, vbi populi illi in magna rerum diuinarum ignoratione verſantur; & cum Galliæ finitimi ſint, valde periclitantur. Quinque igitur ad eos miſſi ſunt, qui paucorũ menſiũ interuallo tũ ſacramentorũ adminiſtratione tũ explanatione Chriſtianæ doctrinæ vſq. adeo profecerunt, vt iã plane alia rerũ facies in orbe illo cernatur. Eſt etiam in eos, qui iuſiurandũ temere vſurpãt, inſtituta ſodalitas, cuius beneficio magna ex parte praua illa conſuetudo reſtincta eſt. Oppido ſeditione ac diſcordijs laboranti, reſtinctis diſcordiarum ſeminibus, pax redijt.* In Gandienſi *vero Collegio ad Philoſophiæ ſcholas ſcholæ etiam acceſſerunt Humanitatis, plurimique ad diſcendã tum Græcam tum Hebream linguam animum adiecerunt. Hæc de Aragonia. Reliqua eodem ſtatu ſunt.*

SARDINIA.

D*Egunt in Sardinia ſocij ſeptem ac ſeptuaginta. In Saſſaritano Collegio tres & triginta. In Calaritana fere triginta. In Buſaquenſi nõ plures octo, reliqui in Eccleſienſi. Duo ad Societatem adſcripti ſunt, mortui totidem.* E Saſſaritano *Collegio miſſi ſunt Sacerdotes aliquot in finitimos pagos, qui e ſuis laboribus multum ceperunt vtilitatis. Quodam in oppido vſque eo veteres ſimultates exarſerant, vt in duas factiones*

diuis

diuisa plebe multæ fierent vtrinque cædes. Nostri, pace inter factiosos principes constituta, ne malum longius serperet prouiderunt. Alteri vero pago, vbi nec vulgaris permistio corporum, nec condita pectoribus odia numerabantur in peccatis, ereptus est hic error & vehemens iniecta religio. Calari *Quadragesimæ nascentis exordio tota ferme Diocœsi falsus quidam percrebuerat rumor, nullum per eos dies ciborum delectum habendum esse, impune licere cuique per Archiepiscopum carnibus vesci. id vbi Archiepiscopus ipse resciuit, rei nouitate commotus, eius rumoris auctores conquiri iubet. cum nullus indicaretur, nostros accersit, eorumque consilijs publico edicto tum se vindicat à calumnia, tum seuere cauet, ne quis deinceps vetitas in mensas dapes inferret. In his locis, quæ est horum probitas, Societas vehementer amatur. Sed, vt pudori nostro seruiam, honorificos de laude nostra sermones multaq. huiusmodi amoris argumenta prætereo. Hanc beneuolentiam par liberalitas testata est. In comitijs regijs sex nobis librarum millia hoc est, aureos bis mille ac quadringentos de communi consilio Collegio decreuerunt. Habentur hæc comitia decimo quoq. anno, in ijsq. Regi a regno vniuerso plurimum argenti muneris loco defertur. Ex ea summa pars aliqua tũ in communem vtilitatem, tum in piorum hominum subsidium Regis liberalitate subtrahitur. Cum igitur ad eos nostrorũ Collegiorum referretur inopia, vix dici potest, quanta omnes contẽtione, præsertim Archiepiscopus pro nostris commodis decertarint. quo circa impetrata est huic quidem Collegio ea pecuniæ summa*

ma, quam dixi: reliquis vero Collegijs pro locorum necessitate complura. Lustrati sunt à Calaritanis socijs vicini pagi non sine eorum tum emolumento, tum animarum fructu. Pagus quidam cum propter summam egestatem, vnde se aleret, nō haberet, tantum nostri corrogauere subsidij, quantum menstruo spatio satis esset pauperibus ferme ducentis. Alius ab Archiepiscopo ad eius inspiciendā Diœcesim missus, operam in ea suam per quā vtiliter collocauit: plerique enim in rebus, quæ ad religionē pertinent, erāt admodū rudes, vix vt aliquid eiusmodi audisse aliquando viderentur.

Ecclesiensis *Collegij templum à Calaritano Antistite consuetis Ecclesiæ ritibus ac ceremonijs consecratum est. Decretaq. de more publica supplicatio frequenti Clero celebriq. conuentu. Deportabantur B. Zenonis martyris vniusq. ex Vrsulæ comitibus venerandæ reliquiæ: nec defuit ijs, qui intererant peccatorum Indulgentia. Deniq. actus est ille dies maxima omniū gratulatione ac celebritate. Hactenus de Sardinia.*

PRO-


PROVINCIA BOETICA.



Aluit hæc Prouincia socios trecentos & septuaginta sex. In Hispalensi Domo sexaginta. decem minus in Hispalensi Collegio. In Cordubensi sex & sexaginta. In Granatensi quinquaginta. quinque plures in Montelano. In Marcenensi quattuordecim. In Vaezano quinque & viginti. In Malacensi decem. In Gaditano quindecim, In Triguerensi vndeuiginti, & in Zerensi duodecim; tres porro in Eccizam missi sunt. Societatem auxere triginta & eo amplius. Sex autem obierunt.

Iam si à communibus discedatur, hæc ferme erunt quæ de vniuersa Prouincia scribi possint. Cordubæ antequam in æde sua Episcopus primo suo aduentu Missarum solemnia celebraret, in Collegium nostrum ad octauum vsque diem sese recepit, vbi vitam omnẽ anteactam per confessionem expiauit. Granatæ nunc primum apertæ sunt scholæ, eæq. in ipso suo ortu auditores numerãt quadringentos. In Collegio Malacensi cum alijs temporibus, tum pestilentiæ tempore, quæ vehemens hic fuit, sociorum virtus enituit. Cumq. non facile inueniretur, qui homines pestilentia fœdos aut audiret confitentes, aut subleuaret egentes; hanc sibi curam nostri magna tum ciuitatis approbatione tum animarum vtilitate sumpserunt. Atque id ipsum à Gaditano & à Zerensi Collegio factum est. Nec desunt huic Prouinciæ sui benefici, qui preces nostras


pro suis in nos meritis exigant. Dux Medinensis Hispalensi Collegio areæ, & aquæ modum mille circiter aureorum pretio dono dedit; Nec minus ab alijs benigne factum est Montelano, Vaezanoq. Collegijs, cuius vtriusque reditus aureis ferme trecentis amplificati sunt. Ex Hispalensi *Collegio decem duodecimue è nostris auditoribus ad nostrum numerum accesserũt. Ex hac Prouincia alij alio animarum causa missi sunt qui cum omnes proximis vtilitati fuerunt, tum ij, qui in Eccizensi oppido laborarunt. Ciuitas vniuersa Societatis desiderio à Rege contendit, vt constituendi collegij causa quorundam sibi pascuorum fructus confirmaret, quod cum impetratum esset à Rege, diem festum egit augustißimo Iesu nomini, omnesque ordines ac Magistratus gratulantes ad nos venerunt.*





PRO-

PROVINCIA MEXICANA.



Eptem domicilia Mexicana Prouincia complectitur, in eisque socios centum & viginti quattuor. In Mexicano Collegio duodesexaginta. In Mechoachano sexdecim. In Angelopolitano viginti. In Guaxacano decem. In probationis domo Terozotlana non plures octo. Tribus minus in domo S. Crucis, septem denique in sede Manillæ. Nullus hoc anno Dei beneficio desideratus est, adiuncti vero quinque.

MEXICANVM, ET Texozotlanum.

AVctum est Mexicanum Gymnasium auditoribus quadringentis. nam Archiepiscopus, vt est in suo tuendo grege in primis vigilans, ad erudiendum conscientiæ quæstionibus Clerum, eas à nostris explicari voluit. quæ res magnum Clericorum numerum ad scholas nostras adiunxit. Eorum, qui diuinis sacramentis se frequenter expiant, non minor vtique, neq. numerus neque fructus est, quam in ceteris locis. Mulier quædam cum ægrotaret, & peius illi esset in dies curatũ est à domesticis, vt confiteretur; quæ cum non facile adduci posset, missus est à nobis vnus, qui simulatione officij, dum iacentem inuisit, ad peccatorum confessionem adduceret. Quærit ex ea pater, an aliquid in ani

animo lateat, quod confeßione ſit expiandum, negat illa præciſe. monet hic, vt ad memoriam vitam ſibi redigat anteactam. ea tamen, ac ſi nullius conſcientia delicti teneretur, nihil ſe commeminiſſe ſignificat. Tū Pater, quaſi id quod erat diuinans, quæ iſthæc, inquit, dementia eſt, vt malis per ſummum dedecus ſempiternis addici ſupplicijs, quam breui quodam pudore ſuffundi quem gloria mox excipit immortalis? Hic illa effuſis repente lacrimis, libet, inquit, parere monitis Pater, occultiſque peccatis confeßione detectis paulo poſt exceßit è vita. Ad Philippinas cum Philippi Regis mandato nauigandum eſſet, Præſes homo religioſus in primis, negauit hinc ſe receſſurum, quin ſecum aliquos è noſtris aueheret; & id ipſum multi viri principes contenderunt. cumq. re prius agitata ei noſtri polliciti eſſent; ille quaſi Deo gratias agens, noſtris inſpectantibus flexit genu, quod eos ſecum duceret, quibus ad Ethnicorum conuerſionem Dominus vteretur. Sunt ad eam rem Sacerdotes deſtinati tres, laicus vnus. Quid tamen ab ijs actum ſit hoc anno, nondum cognitum eſt, ſperamus cognitum iri propediem. Mißi ſunt & ad Sacatenas Patres duo, vbi non ſine multo diſcrimine, (ſunt enim regiones illæ excurſionibus barbarorum infeſtæ) proximorum cauſa laborarunt. Habet hic beneficos multos Societas noſtra. Sunt templo ex argento candelabra tributa quattuor, lampades caliceſq. & alia huiuſmodi ornamenta complura, quæ multis aureorum millibus æſtimantur: vt plane nihil deſiderandum ſit aliud, niſi vt tantæ hominum de nobis opinioni par vitæ ſanctitas integri-

gritasq. respondeat. De Texozotla, *præter ea, quæ proximo anno scripta sunt, nihil est fere præcipui. Missi sunt ex hac sede in Guaicotham Sacerdotes duo. abest hinc regio passuum millibus nonaginta, annũ in ea nostri in instituendis ad Christi fidem ac mansuefaciendis efferatis incolarum moribus consumpserunt. est in hac prouincia hominum natio quædam, in qua etsi religionis Christianæ cernuntur initia; tamen quia eius regionis lingua ab omnibus ignoratur, inculta & deserta relinquitur. Sacerdos noster, qui iamdiu vix eius linguæ attigerat elementa, ad eam se reuocans ita perdidicit, vt multum & habendis concionibus & confessionibus audiendis nationi illi profuerit.*

MECHOACHANVM.

E*St & in Mechoachano templo pœnitentium numerus satis frequens, vt aliqui confessionis causa è longinquis locis huc confluant. Quidam viuebat adeo licenter, vt quod vis scelus non dubitaret admittere: itaq. palam eum dæmones spectris & vociferationibus perterrebant: cum patrem conuenisset è nostris grauissimaq. illi peccata confessus esset; ius in eo suum malus Dæmon amisit; nec vt ceteris noctibus, sic insequenti sese illi ad terrorem obiecit: exaudiebantur tãtum confusæ quædam & ex occulto missæ voces, quas ille cum se à peccatis diligentius purgasset, funditus à sese dispulit. Mulier etiam ad nos venit tum veneficijs maxime dedita, tum alijs contaminata vitijs; ea cũ à sensibus aberrasset, visa sibi est ad subterranea quædam*

dam deferri loca, tenebris obsita & fœtore teterrima, in ijsque spectare tum tormentorum genera varia, tū è suis affinibus amicisq. nonnullos, qui iam vita functi à sæuissimis tortoribus mactabantur. Postero die sibi ipsi reddita nihil habuit antiquius, quam vt suorum scelerum magnitudinem confessione deleret. Alius peccata sacerdoti nostro confessus, cum instituisset ille quidem vitam e virtute fingere, postea tamen de virtutis curriculo deflexisset, nec dubitaret ea ipsa pecca re, quæ iam ante damnarat, subito rapi sibi visus est Iudicis ante tribunal, ibique adesse eum, cui se expiauerat Patrem grauissime se accusantē, quod, quas semel per confessionē maculas eluisset, eas denuo sine pu dore susciperet. Quo viso exterritus cum lacrimis redit ad Patrem & in viam, quam reliquerat diuina gra tia comite se reduxit. Pari studio duo de nostris qui Quanaxuatum profecti sunt, communi animarum vtilitati seruierunt. nam cum hæc Prouincia Barbaris, quos Chichimecas vocant, infesta sit, vix inuentus est, qui in ea de diuinis rebus sermonē habere posset. multa ibi extirpata sunt vitia, multa odia restincta. Cuidā autem cum nulla ratione persuaderi posset, vt cum inimico rediret in gratiam, rem tentauit sacerdos noster supplexq. ad eius sese pedes aduoluit; sed ille vt adhuc erat in recenti tumore, in præsentia supplicem re pulit; postea cum irarum feruor resedisset, dum insignem illam summißionem Patris redigit ad memoriam, adeo permotus est, vt sponte rem omnem eius ar bitrio voluntatiq. permiserit.

ANGELOPOLITANVM.

EX Angelopolitano Collegio vberes quoque collecti sunt fructus. & vt à cõmunibus discedamus, Venit ad confeßionem quidam, qui præ tristitia ac desperatione rerũ suarũ laqueo statuerat finire vitam. Dum restem parat, vnde se suspendat, Ecce tibi B. Franciscus, cuius præcipuo quodam studio tenebatur, hisce eum verbis reuocat ab insania. Quid agis miser? quin ad sanitatem redis? non sentis ad inferos te præcipitem agi? qua voce tanquam è tenebris reuocatus ad lucem, continuo aduolat ad Collegium, sacerdotiq. nostro rem totam aperiens, vitam etiam anteactam per confeßionẽ expiauit. Auctores pacis sæpe sunt nostri. sæpe enim inter primarios grauißimæ contentiones existunt, sæpe iurgijs ac contumelijs ad arma prouocant. Alapam Sacerdoti nobili eques quidã impegit, & quod grauißimum est, in æde maxima, populo inspectante. quam ille ignominiam non ferens totus ad vlciscendum inimicum exarsit. Quidam autem è nostris, id quod Deo acceptum referendum est (res enim sæpe tentata nunquam cesserat ex sententia) cũ in eius se familiaritatem insinuasset, sermonemq. de diuinis rebus intulisset, quasi admotis facibus hominẽ sic incendit, vt nulla suæ dignitatis ratione habita offensam vltro remiserit. Ne is quidem exiguus numerandus est, fructus quod Indi, quos hispanus naturales appellat, quorum ingens huc numerus ad lanificia conficienda se confert, omnis salutis præsidio carebant; vt etiam,

etiam, quibus verbis signum crucis exprimerent, ignorarent; nunc sociorum exculti laboribus, & ea tenēt, quæ ad animi salutem pertinent, & cum nullis antea sceleribus temperarent, ab omni vitiorum genere quoad eius fieri potest, sese cohibent. Gymnasij numerus definitur auditoribus fere centum, pueris triginta exceptis, qui in Seminario quodam puerorum instituuntur. factum est initium conscientiæ explicandi quæstiones, quibus non pauci, & è nostris, & ex externis intersunt. Magna est autem ciuitatis in nos beneuolentia pari cũ liberalitate coniũcta: & præter ornamenta complura, quibus nostram illustrauit ædē, vitas etiã nostras, quibus sustentandis nulli sunt reditus, ita tuetur, vt cũ quattuor & viginti socij numerentur, multo tamē maior numerus ali possit.



PROVINCIA LVSITANIAE.



Vadringentos circiter & nonaginta socios Lusitania Prouincia numerat. Domum professorum vnã, in qua duo & quinquaginta versantur. Collegia octo, præter Angolanam sedem, vbi tres resident. In Olysiponensi Collegio quinque sunt & quadraginta. In Conimbricensi centum & octoginta quinque. In Eborensi centum circiter & viginti. In Portuensi quindecim. In Bracharẽsi triginta. In Brigantino duo & viginti. In Funchalensi quatuordecim. Quatuor denique in Angrensi. Accesserunt ad Societatem sex & quadraginta. Decesserunt è vita quinque.

Viget in Professorum domo studium alienæ salutis vt cum maxime templi celebritas ea est, vt eodem interdum die sacram Christi mensam duo hominum millia celebrarint. E Mahometanis duo ad Christum traducti sunt; quorum alter vulneratus ad necem cum rogaretur à nostris, Christianus ne mori vellet; prorsus annuit (vocem enim intercluserat morbus) mox baptismi aqua perfusus loqui cœpit, suisq. rebus sperare melius: nũc integer incolumisq. vt Christianis ritibus imbuatur, multus est apud nos. ex hac domo sex alij alio profecti sunt. Quodam autem in oppido Sacerdos noster pro concione quendam adeo permouit, vt humi stratus ante sacratissimum Christi corpus, peteret, sibi

vt indicaretur, habenda ne fides esset eius concionatoris verbis; apertoq. sacrarum litterarum volumine, quod habebat præ manibus, commodum ea verba vatis occurrunt, Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam. quibus ille verbis satis sibi persuasit, patrem illum diuinitus missum, cuius parendo monitis animæ saluti consuleret,

In collegio Olyssiponensi *ad excitandum iuuentutis ardorem conditum est Deiparæ Virginis sodalitium, nec tamen ab alijs nostrorum opera desiderata. Est iuxta Olyssiponem a collibus oliuiferis in speciem horribilis solitudinis reducta vallis: huc quidam, rebus desperatis, cum recessisset, mæstis clamoribus dæmones euocabat, orabatq. vt se vel nece à tãtis malis eriperẽt. Ecce tibi dicto citius truculenta specie dæmõ ad hominem strãgulandũ paratus; quo ille spectro perterritus continuo reuocat orationem, implorataque, à sanctissima Dei matre, ope, periculo eximitur. inde ad Collegiũ recta: vbi expiatis confessione peccatis ab insania illa ad sanitatem, ad spem à desperatione traducitur. Lætos & Eborense Collegium fructus edidit. E Gymnasii auditoribus quadraginta varijs sese Religionibus addixerunt. Inchoatumq. B. Virginis sodalitium è lectissimis quibusq. discipulis. Aulicus Senator in primis diues, orbatus hæredibus, huc eo animo venit, vt ædes vbi duodecim instituantur adolescentes ædificet, nostrosq. eius contubernij administrationi præficiat. Rex Catholicus cum hac iter haberet, obuiam ei à nostris auditoribus proditum est, exceptusq. de more carminibus orationeq. pereleganti. Ex exte-*

ris agris, quos ad excolendos profecti sunt nostri, par pene laboribus fructus consequutus est. Quodã in oppido familiæ duæ; quæ trigesimum iam annum ex indigna ciuis cæde inter se dissidebant, nostrorum oratione placatæ, non paruam voluptatem omnibus attulerunt: itaq. cum Sacerdos noster Spiritui sancto eo nomine gratias ageret, vix quisquam lacrymis temperauit. quo circa serenissimus Cardinalis, qui de mittẽdo Quæsitore ad causæ cognitionem deliberauerat, valde lætatus est, cum accepit controuersiam illam Societatis interuentu sedatam. Nec vero *suis muneribus defuit* Portuense Collegium. *Adolescens acceptis plagis, cum vocis vsum amisisset, peccata scilicet indicare non poterat. Sacerdos vicem dolens adolescentis, moribundum iubet sacro oleo perungi, nouissimasq. preces migranti animæ adhiberi; mira res. vox ægro continuo rediit, peccataq. confessus non modo impendentem mortẽ euasit, sed paucis diebus plane conualuit.*

In Bracharensi *Collegio magnus ineuntium cæleste conuiuium numerus fuit. duo interdum millia vno aut altero die numerata sunt. Placatæ sunt etiam iræ offensæq. non leues. duo nobiles adolescentes cum in publico altercarentur, alter alterum crepida contumeliose percussit: quam ille notam, vt erat dignitatis suæ retinentissimus, minime ferens; statuit eam ferro delere, coactamq. armatorum manum opperiri hominem iubet. Interim ad vnum è nostris re delata; noster vtrumq. adolescentem seorsim aduocat, ac de reconciliatione contendit: tantum valuit eius tum auctoritas tum etiam preces, vt ad offensi pedes percussor accide-*

ret, supplexq. veniam peteret: ita mutuis sese excipientes amplexibus in concordiam redierunt.

Illa *grauior à* Funchalensis *Collegij socijs cõpressa seditio. Ciues quidam cum per contumeliam, arcis milites appellassent; vsque adeo Reip. statum conturbarunt, vt milites partim ex arce, qua potiuntur, vexilla ostentantes, partim galeati, foribus in martem emißi, ruinam vrbi & vastitatem minitarentur, sed Dominus per Sacerdotem nostrum, cui plurimum deferebant omnes, in ipsa trepidatione furentes animos ita cohibuit, vt omnis iniuriarum memoria deleta subito videretur. Magistratus etiam, cum ab Episcopo dißiderẽt, quod in eos anathemate propter commissam Taurorum pugnam animaduerteret, effectum est, vt postulantes postea veniam ab anathemate Episcopus liberaret.* Angrense *Collegium, quod amissum esse superiores litteræ tradiderunt eximio quodam diuinæ prouidentiæ munere recuperatum est. Soluit Olyßipone centum nauibus instructa claßis, vt Angrenses qui se dedere Regi noluerant (si aliter non possent) ferro & flamma in deditionem redigeret. Interim Cardinalis, & huius claßis Præfectus quattuor à P. Prouinciali de nostris impetrarunt, duos Sacerdotes totidemque fratres; quorum opera, quamdiu in mari fuerunt tum in frenanda lasciuienti militum licẽtia, tum in excipiendis confeßionibus alijsq. huiusmodi muneribus posita est. Postero die, quam vrbem occupauit miles Hispanus, dux pro re bene gesta Deo immortali gratias acturus nihil habuit antiquius, quàm vt pristinas Collegij sedes inuiseret, & quicquid ei miles abstule-*

rat restitueret. Interim, dum vetus quasi Colonia renouatur, agunt in Angrensi Collegio non plures quattuor. qui numerus, vt amplificetur, multis precibus Insulani contendunt, adhibentq. deprecatores, & Cardinalem, & Regem. Ceterum pacatis tranquillisq. rebus curatum est à nostris, vt egenorum, quorum innumerabilis multitudo fuit, leuaretur inopia: perfectumque, vt sua cuiq. tēplo redderētur ablata. Redeuntē in Lusitaniā Ducem, Sacerdote in Collegio relicto laicoque vno, P. Gregorius à Mata cum comite prosequutus est. Comes in mari grauiter ægrotauit, sed in terrā expositus Olyssiponensis cæli clementia recreatus est. Pater vnà cum Duce suum cursum tenuit; sed vt Gades appulit, morbo ac nauigatione iactatus interijt: Homo Societatis laboribus prope confectus, quippe in ea triginta annos vixerat, magnum sui, & apud Ducē & milites desiderium reliquit; id quod tum alia, tum ipsæ principum lacrymæ, dum eius interessent funeri, declararunt. De Angolana sede satis fuse superiore anno perscriptum est. Nunc res Christiana, quam non nihil tumultus bellici remorantur, felicem, vt speramus, exitum consequetur. Spes autem in eo est, vt cum auxiliares copiæ à Lusitania eo appulerint, Angolenses animo debilitati victiq. æquo animo condiciones pacis accipiant. Interim, rebus nondū tranquillis, nolunt nostri ex his æthiopibus nisi per paucos, eosq. probe cognitos baptizare, ne eadem leuitate Christiana sacra deserāt, qua susceperint.

PRO.

PROVINCIA
BRASILIAE.



TRia sunt in Brasilia Collegia. Sedes quinque socij centum & quadraginta sex. In Collegio Bayensi quinque & septuaginta. In Collegio fluminis Ianuarij vnus & viginti. In Pornãbucensi duodeuiginti. In sede S. Vincentij septem, totidem in Residentia S. Spiritus. sex in reliquis. Duo e vita sublati sunt. Quindecim in Societatem adscripti.

Præcipua nostrorum opera in instituendis ad Baptismum Ethnicis & Aethiopibus collocata est. nec in alias excurrendi regiones intermissa consuetudo. qua ex re mirum quantum in animarum salutem redundarit vtilitatis; baptizati sunt enim in his itineribus mille amplius octingenti: quorum aliqui iccirco videntur in vita diuinitus reseruati, ne sine lauacro regenerationis interirent; vt enim à nostris Christiana fide imbuti ablutiq. sunt, continuo è vita migrarunt. Tres Indorum pagi curantur à nostris. in singulis quaterni sunt socij, quorum vnus ceteris præest, eosque, vt suũ quisq. munus obeat, frequenter inuisit. Hos pagos Pater etiam Visitator magna cum voluptate lustrauit. Lætabatur enim valde cum animaduerteret, id genus hominum, Ethnicas superstitiones oblitum tanta cum laude disciplinam profiteri Christianam. Atque in ijs quidem excolendis, quam vtilis ponatur opera, vel

ex eo conijci licet, quod cum è classe Iacobi de Flores, quem Rex Philippus classi vniuersæ præfecit, nauis quædam è proximo loco soluisset; propius factum est nihil, quam vt ad immanes scopulos vi ventorum appelleret. quod vbi sensere Christiani, confestim è suis quisque tectis prodeuntes, congeriem quandam lignorum, quam Iangadas Lusitanus appellat, solliciti construunt; vt si minus naufragium aliquod, certe, ne qui haurirentur fluctibus, prohiberent: quod spectaculum multum animi & virium periclitantibus afferebat; cumq. reflante vento certum periculum euasissent, nullum finem faciebant nautæ vectoresq. siue laudandi Indos, siue nobis gratias agendi, à quibus essent tam pie religioseq. educati. Adiunctæ sunt huic Collegio Residentiæ duæ, altera quæ Ilbearũ, altera quæ Portus securi nominatur. abest illa à Baya passuum millia nonaginta, in eaq. est à nostris ex eleemosinis extructa domus, vbi & scholam puerorum habent, & præter communia Societatis munera, multos saepe baptizant. Sunt autem hoc anno baptizati centum & sexaginta. Altera sedes abest passuum millia centum & octoginta. traduntur in ea litterarum elementa pueris, & in vicinos pagos, qui vndecim numerantur, excurritur.

In Collegio *Fluminis Ianuarij instituuntur auditores & conscientiæ casibus, & litteris. quinq. autem nomen Societati dedere. Communicantium & confitẽtium tria circiter millia numerata sunt: qui numerus vt in tali loco, exiguus videri non debet. Duo Indorũ oppida nostrorum curæ commissa sunt, in altero resident e nostris aliqui, alterum frequenter inspiciunt.*

 Qua-

Quadringenti circiter & triginta suscepere baptismũ. in Collegio vero alijsque peregrinationibus quadringenti ac nonaginta. Magna & ornata Philippi regis classis, dum ad fretum Magalaneum cursum suum dirigit, huc appulit ad aquandum; quæ cum duo millia militum veheret, magnum scilicet nostrorum pietati campum aperuit. data est primũ opera, vt ægris compluribus curationes, vbi è nauibus descendissent adhiberentur. illustris autem fuit ciuium in curãdis ægris, tectoq. recipiendis tum alacritas, tum liberalitas; nec enim tam multos capere Nosochomium poterat: cumque multi in nauibus remanerent, ad eos nostri se contulerunt, vt pro sua quisque parte eorum saluti consuleret. Quæ res quantum nobis apud Præfectum vniuersæ classis conciliarit amoris, qualesue fuerint eius de Societate sermones, dicerem, nisi silentiũ indiceret pudor. Satis ergo de Brasiliẽsi Prouincia.



PRO-

PROVINCIA INDIAE ORIENTALIS.



Ndiæ Orientalis Prouincia socios continet fere trecentos. Collegia sex, Residentias vero tam multas, vt eas singulas recensere, cum id alijs litteris factum sit, molestum propemodum videatur. Quoniam autem Romam vel non omnes huius Prouinciæ litteræ peruenerunt, vel quæ peruenerunt separatum quoddam volumen exigunt, de his tantum Collegijs sedibusq. dicetur. De Goensi, in quo degunt socij centum & quinque; De Bazainensi & reliquis finitimis sedibus, vbi quattuor & quadraginta versantur: de Cocinensi & tota ora Malabarensi, in qua fere totidem numerantur. denique de Salsetano Collegio, quod quia gloriosas nostrorum mortes continet pro religione oppetitas, multo commodius in extremam Prouinciam reijcietur. E socijs quindecim qui in Indiam ex Europa non ita multo ante discesserant, obijt in itinere Petrus sylua Eborensis Collegij Rector virtute & litteris præstans.

COLLEGIVM GOANVM.

HOc anno P. Alexander Valignanus cum in hac lustranda Prouincia locorũ inter se spatijs valde disiuncta nouem ipsos annos consumpsisset, Goam tandem eo animo se retulit, vt Romam inde reuersus

de

de toto Prouinciæ statu tum Patrem nostrum Generalem, tum Pontificem Maximum admoneret. Sed acceptis à Patre litteris coactus est eo ipso loco consistere, & Indicam hanc administrare Prouinciam. Is secum adolescentes quattuor; atque in his duos ipsorum Regum consanguineos ad Summum Pont. cum litteris missos ex Iapone deduxit. qui Goam vt attigerunt, magna humanitatis significatione accepti sunt à Prorege: donatiq. aureis torquibus cum reliquiarum thecis, quos ipse Prorex singulorum ceruicibus imposuit. Valde eorum aduentu aspectuq. tum Archiepiscopus, tum vniuersa ciuitas delectata est. cumq. placuisset nouo Prouinciali scholas inspicere, maxima illi gratulatione Gymnasii variisq. artium atque ingeniorum muneribus sunt excepti, eo ipso ornatu apparatuque, quo in Lusitaniæ Gymnasio anniuersaria studia renouantur. Florent scholæ auditorum genere numeroque, Templum etiam præcipue colitur in eoque conciones habentur & frequentes & crebræ. Die B. Pauli conuersioni sacro (est autem is Apostolus loci patronus) expiati baptismo sunt quadringenti, reliqui vero anni cursu circiter cētum. Nonnulli præterea, qui à Christi religione sese disiunxerant, iterum cum Christo coniuncti sunt; & vt de ceteris sileátur, Lusitanus honesto loco natus, & olim apud nos educatus cum ad Idalcanis transisset imperium, vxorē duxit liberosq. suscepit, & quod grauissimum est, nuntiū Christo remisit. tandem septemdecim post annos agnouit erratum, & de discessu cogitare cœpit. Egit cum eo Sacerdos quidam è nostris cuius ope (data à Prore

ge &,

ge & à Religionis Quæsitoribus publica fide) omnibus superatis incommodis contemptoq. vectigali magnifico à Rege tributo cũ liberis reuertit in patriam. is Societatis meditationibus expolitus cum Deo fatendis culpis rediuit in gratiam. Cumq. non longo interuallo ad vitæ exitum vocaretur, confirmatus & adiutus à nostris magna cũ voluptate decessit. Missi sunt aliqui cum ad alia loca, tum ad arcem quandam, cui Barsalor nomen est, diuinis præsidijs egentissimã, quod in ea nec cænobitæ religiosi sunt vlli, nec sæpe aliquis, qui vicem gerat Episcopi. totam ibi hyemem nostri fuerunt, tanta cum Christianorũ vtilitate, vt affirmarent incolæ, oppidum illud quasi religiosorum euasisse cœnobium. Ac præter concionum & confessionum fructus, expositum est gratis Nosochomium ad fouendos ægrotos, quod antea in ea arce nullum erat, missaq. ex hoc Collegio pharmaca non sine magno incõmodo sumptuq. nostrorum. Goæ etiam in valetudinario publico duo sæpe versantur è nostris, vt & ægrorũ cõfessiones excipiãt, & migrantes animas opportune confirment. Ad Societatem misit hoc anno Dominus duo de viginti, sex autem euocauit ad præmium. In his Balthasarẽ Gagum in Societate iam senem, quinque enim & triginta annos in ea vixerat. Hic est ille Balthasar, cuius de Iaponicis rebus aliquæ extant epistolæ: diu in Iapone fuit, diu has regiones Indicas peragrauit; dum ad extremum anno ætatis quinto & septuagesimo crebris morborũ tẽtationibus exercitus huc concessit; vbi & à vita laboribus conquieuit. fuit in eo quoq; numero Dominicus Fernandez virtute studioq. humanæ sa

lutis

lutis insignis. Is cũ in Chorană insulă penetrauit, septẽ tantũ dicitur inuenisse Christianos; cũ obijsset, quinque millia reliquisse: vt videatur, totum illud tempus quo in ea insula fuit, fuit autem annos septem & viginti, præclare ab eo fuisse consumptum.

COLLEGIVM BAZAINENSE. cæteræque sedes ad septentrionem.

DVodeuiginti alit e nostris Bazainense Collegiũ, quorum omnis cura ponitur in hominum tuenda salute. Templum nostrum frequens fuit in primis pietasq. hominum magna in suscipiendo Iubileo quodam, cuius promulgandi ius in his potissimum locis Societati concessum est. Id exemplum ceteras religiosorum familias ad suum quamque Iubileum promulgãdum inuitauit. cuius rei beneficio plerique iam peccata singulis fere mensibus confitentur.

Christi Ecclesia ducẽtis est aucta Christianis, quorũ pleriq. nobis cogniti perspectiq. sunt: nã Mahometani barbariq. qui baptismũ postulant, quia leue genus hominũ est, in aliud plerunq. tẽpus differri solent. Hominũ frequentiã auxere per Quadragesimã coniunctæ duarũ classium copiæ huc à Prorege missæ, vt Bazainensi duci, qui vicini cuiusdam Reguli persequebatur iniurias, opem ferrent. Classium præfecti cũ iretur ad prœliũ, aliquos postularũt è nostris, præsertim Hieronymus Mascarenias è præcipuis ducibus vnus, qui tres habet in Societate germanos fratres. is Sacerdotẽ à Prouinciali cum comite impetrauit. Qui ambo ex hoc

Col-

Collegio missi tum confessionibus audiendis tum habendis concionibus multum militibus profuerunt: hoc etiam magis, quod corporibus quoque, non modo animis subuenerunt, complures enim itinerum difficultate & calorum æstu morbus inuaserat. Inter eundũ & redeundum è prælio dies abiere amplius quadraginta; tandemq. Deo fauente victoriam nostri, æquatis solo hostium sedibus, retulerunt, nam barbari Christianorum refugientes incursum suo more sese intra syluarum latebras abdiderunt.

Subiacet *huic Collegio Residentia Tannensis, quæ ipsa alias duas habet adiunctas sedes, in ijsq. degunt octo de nostris, à quibus præter vsitata Societatis munera Christiani circiter facti sunt centum. Bandoræ quæ in eadem est insula, datur opera, vt finitimi populi Christiana sacra suscipiant: nam in oppido ipso* Ban*dora omnes iam aut Christiani, aut cathecumeni sunt. E cathecumenis autem ad baptismi fontem admissi sunt quadringẽti.* In Damanensi *sede sex è nostris in adiungendis ad Christum Ethnicis operam ponunt. Et quanquam ratio numeri habita nulla est, constat tamen inter eos, qui adiuncti sunt, nobiles fuisse nonnullos: atque in his Mahometanum puerum de præcipuis, qui cum classe, quæ Mequa aduehebatur, est captus & ad Christum adductus. Re porro familiari multorum inopiæ egestatiq. subuentum propter rerum omnium caritatem, quæ e Mahometanorum irruptione quadam consecuta erat.* In Chaulana *sede, vbi totidem socij commorantur, refertum Gymnasiũ est, quia aliò discendi causa concedere parentes liberis*

non

non permittunt. Nec vero negotiatoribus, qui huc vndique confluunt, minus affertur vtilitatis. viginti nonnumquam & triginta simul naues appellunt, quibus tum expiandis animis tum expediendis nodis, qui de Christiano officio incidunt, praeclare consulitur. Christianorum cura ad aduentum vsque nostrum penes alios Religiosos fuit. sed vbi ciues has esse praecipuas Societatis partes cognouerunt, quanquam alij probe suo munere fungerentur, vehementer egerunt, vt ea quam dixi cura delegaretur ad nostros. nostri honestis nominibus obsequendũ ciuibus non putarunt: occasiones tamen tum erudiendi Cathecumenos, tum baptizandi, si citra vllius offensionem sese offerunt, non dimittunt. Hactenus de Bazainensi Collegio ceterisque sedibus. Nunc antequam de Cocinensi dicamus, quoniam ex Damanẽsi sede iter est in Aethiopiam, nonnihil de rebus Aethiopicis est dicendum. E socijs sex, qui ante annos septem & viginti in Aethiopiam cum Andrea Ouiedo profecti sunt, duo duntaxat superstites sunt relicti. Nam Emanuel Fernandez in Societate iam senex & moderator ceterorum Natalibus Christi ferijs migrauit ad Dominum, & quidem ea virtutis & sanctimoniae significatione, quam à tali viro expectare par erat. cum à suis discederet, exploratum sibi esse dixit, pastore quã vehementer egerent; monuitque, vt eum vel per litteras postularent, vel dum aliquis mitteretur ex India, sorte deligerent. Christianorum sedes ibi sunt duae, altera cui nomen Dambra, altera quae dicitur Tigare. Tigare residet Dux quidam constitutus à Rege, cui Lusitani parent. Is est Franciscus

Iacobus Monteius, qui per litteras vna cum nostris, sibi vt aliqua mittatur claßis efflagitat, eo consilio, vt regnum illud in deditionem Regis Catholici redigat, priusquam occupetur à Turca; satis autem ad eam rem fore Lusitanos circiter mille, multitudinem enim auxiliorum ei regno non defuturam.

COCINENSE COLLEGIVM
& omnis ora Malabarensis.

DEgunt in hac ora socij quatuor & quadraginta. Quæ autem in Cocinensi Collegio gesta sunt, non multum ab ijs discrepant, quæ superiore anno sunt scripta. eadem frequentia templi, eadem celebritas est, sed ad maiorem multitudinem accipiendam eius quoque laxantur angustiæ. Centum hoc anno baptizati sunt, plùresq. fuissent, si cathecumenis domus esset. In Vaipicotta Residentia S. Thomæ, vbi Christiani illi iam inde à B. Apostolo fidem suscepisse dicuntur, quoniam ea valde corrupta erat, præclara iacta sunt fundamenta ad eius reuocandam integritatem: cui rei P. Alexander Valignanus huius Prouinciæ visitator multum attulit adiumenti. Is cum eorum Christianorum Archiepiscopo re communicata, multa religionis capita reliquit in scriptis, indictumq. ab Archiepiscopo concilium est, cui & Archiepiscopus ipse cum Clero interfuit, & è nostris Sacerdotibus duo. Postea duo peracta sunt sacra, alterum latinum, alterum

rũ Chaldaico ritu, quibus peractis fidẽ Catholicam coram multitudine Archiepiscopus est professus. Recitata subinde sunt tum ea, quæ à Concilio Florentino de Sacramentorum doctrina edita sunt, tum quę à Patre Visitatore proposita. Quæ quoniam ad corrigẽdos mores & sanandas affectas illius Ecclesiæ partes spectabant, summa scilicet vniuersorum consensione recepta sunt. In ora Trauancoris eadem est nostrorum sedulitas in excolendis erudiendisq. Christianis. In huius oræ pago res accidit digna litteris. Miles ex Myoparone desiliens omni spe salutis abiecta, quoniam Diabolo seipsum addixerat, ingressus est templum, & coram sanctissima Dei matris imagine prostratus in genua, auxilium ab ea multis lacrimis implorabat. Cum ecce tibi ex amplexu virginis puer IESVS visus est cum milite lacrimari. è Matris autem manibus emicare fons aquæ, quæ totam perfudit aram: vt intelligeret miles, quanta sibi veniæ spes esset ab ea, quæ totius misericordiæ fons est, & quam non difficilis sit filius ad matris preces, qui cum lacrimis perditum hominem ad se redeuntem excepit. Admoniti de re tota comites accurrerunt, vt quo plures oculi conspexissent, eo maior prodigij fides foret. Qui quidem imbutum aqua sudariolũ, qua aram diximus madefactam partiti sunt inter se: miles vero cum venisset ad nos, vniuersæ vitæ flagitia confessus Religionem vouit, vt quanto iniquius se deuinxerat dæmoni, tanto arctius se astringeret Deo. In Ora Piscariæ migrauit, vt speramus, in cælũ Iosephus Victoria huius vineæ diligens in primis agricola. præsidium enim sibi compa-

rauerat linguæ, qua & cōcionari apud incolas posset, & eorum confessiones excipere. morienti affuerunt omnes eius oræ socij, qui die festo B. Mariæ ad niues (ea enim patrona domus est) vt confitentium multitudini suam nauaret operam, conuenerunt. quandiu in hac ora pater ille fuit (fuit autem fere semper ex quo cum Visitatore Roma venit) maximum suæ virtutis tum nostris, tū externis specimen dedit. Hoc ipso anno pridie Idib. Febr. cessit è vita Franciscus Perez B. Xauerij comes antiquus, cuius ea fuit sanctitatis opinio, vulgo vt sanctus appellaretur: quin Franciscus ipse Xauerius dicere solitus est, nulli rei se ita inuidere, vt huius Patris humilitati. administrauit omnia fere huius Prouinciæ Collegia. cumq. affecta iam ætate (erat enim septuagenarius) crebris ægrotationibus quateretur, dum ab vrbe S. Thomæ in hanc oram secedit, ingrauescēte in itinere morbo, Negapatani cōsumitur. iussit Pater corpus suū eodem quo inopes condi sepulchro; sed tamen totius comitatu nobilitatis in sacello maximo per honorifice sepultum est. eius funus Franciscanorum familia curauit. statim autem vt funebris campanarum pulsus auditus est, populus, vt aliquid reliquiarum causa præriperet, aduolauit. Inter humandū corpus tantus excitatus est clamor, turbaque demortui pedes osculari conantium, vt deposito feretro lacrimis fuerit pietatiq. cedendum. affirmauit nobilis in primis vir, apud quem ille decessit, statim atq. animam senex efflauit, triginta se vidisse forfices supra caput tondentium reliquiarum loco capillos: vsque ad vnum euulsis, nudo ad tumulum elatum esse

caluitio. alij etiam barbam vellere, vngues præscindere, alij vestimenta diripere tanta auiditate cœperunt, vt perbeatus sibi videretur, qui ex eo funere non inanis rediret. Hector, ac Rodericus Sella, Damianusque Pais viri nobiles intimam patris occupauere subuculam. Rodericus, ne hac quidem contentus, linteum abstulit e cubiculari lecto tanto pietatis studio, ac si quid de beati cuiuspiam reliquijs abstulisset. Quidam cum Rosarium præripuisset, statim affuit, qui pro eo tabulam magni pretij & nonaginta aureos offerret. Ethnici multi lacrimarum copia prosequuti sunt funus, vt ne Christianorum quidem lacrimis cederent aiebantque, si quis eius vitæ vir, aut pater ipse inter Ethnicos obijsset, futurū fuisse vt ædē ei populus consecraret, & in Pagodum, hoc est Deorū suorum numero collocaret. Tanti faciunt hoc depositū oppidani, vt nunquā a se distractū iri confirment. Iā reliqui huius oræ socij audiendis confeßionibus distinentur; auditæque sunt totius quidem vitæ amplius septingentæ. Viget in eis regionibus maxime pietas, quæ frequentandis colendisq. templis, tum crebris eleemosynis declaratur; hisce quippe subsidijs ædificatum est templum, dataq. in eiusdem vsus solido ex argento candelabra vrceolique perpulchri ad sacrificium Missæ. In insula Manar Ethnici sexcenti, cum propter egestatem ac famē in hanc se insulam recepissent, ad baptismum adducti sunt. eodemque stimulo cum multi in ciuitate B. Thomæ se Lusitanis & Christianis accolis vendidissent, tria millia ex ijs ad Christianorum numerum accesserunt.

COLLEGIVM.
Salsetanum.

E Socijs quattuordecim, qui in Salsetanis sedibus commorantur, sex fere in Castro Rachol, vbi de erigendo collegio deliberatum est, viuunt. Aucta in his oris Christiana res est tum Christianorũ numero, tum præsidijs ad eam rem quam maximis. Tria sunt excitata templa, quorum ædes, quanquam de nostris incolit nemo, propterea quod minus idonea visa est habitatio, eo tamen ad sacrificandum nostri se conferunt; in ijsque celebrata sunt hoc anno baptismata quadringenta. Sed multo sunt quæ sperantur, quam quæ obtinentur maiora: sic pollicetur fusus ille nostrorum sanguis in Coculino pago, quorum mortes, etsi in omnem Societatem perlatæ iam sunt, tamẽ quo sit earum memoria diuturnior, ac ne rem tantam recentissimus quisque desideret; faciendum mihi putaui, vt eam hic, quemadmodum & à P. Valignano Prouinciali, & ab alijs accepta est, fusius tamen, quam instituta breuitas patiatur, exponerem.



GLO-

GLORIOSA RODVLPHI AQVAEVIVAE, ET sociorum mors, pro religione Christi in Salsetanis Insulis obita.



Ex litteris P. Alexandri Valignani Prouincialis, & aliorum.



Voniam, quæ fuerit Rodulphi profectio ad Regem Mogoris superiores litteræ tradiderunt; planius hisce litteris fiet, quam sibi viam munierit ad tam illustrem Martyrij palmam; si prius, quis eius profectionis exitus fuerit, exponatur. Fuit apud hunc Regem tres amplius annos, partim solus, partim cum vno & altero socio. Hic quamuis multa adiret vitæ pericula, propterea quod regio tota Mahometanis atque Ethnicis continetur; tamen Diuina prouidentia factum est, vt barbarorum semper manus effugeret. Quo quidem tempore omnis eius cura atque opera in eo ponebatur vt Regem illum eosq. Populos ab Idolorum superstitione ad Christiana sacra traduceret. Itaque sæpe cum Rege solus de Christianis legibus & institutis agebat, sæpe ea de re, Rege ipso præsente, cum eius Sacerdotibus disserebat; interdumque noctes totæ in his al-

tercationibus terebantur. Sane ea erat disputãtis tum scientia, tum gratia, vt in admirationem raperet vniuersos. Rex etsi in amplectenda Religione duro semper fuit ingenio (obstabant enim vitiorum illecebræ multæ & cupiditatũ lenocinia, quibus erat maxime deditus) intelligebat tamen vana esse, quæ dicerentur à suis, nihilque ab eis solidi aut firmi contra Christi religionem afferri. Rodulphus toto illo triennio, quo apud Regem fuit, postremo præsertim anno, quo sine comitibus est versatus, antiquorum patrum similem vitam egit. Victus ei erat aridus & perexiguus; statis diebus inter hebdomadam abstinebat à cibis: sæpe voluntarias pœnas, vt Deum propitium Regi redderet, vltro subibat. Studia eius non libris, aut chartis, sed aut orando Deo, aut perdiscenda lingua Persica consumebantur. & quanquam precationi plurimum erat addictus; tamen extremo illo tempore, quo inter Barbaros fuit, ei rei multo se dicauit ardentius. nocturna & diurna spatia orando continuabat: nec enim pedem efferre foribus consueuerat, nisi interdum adeundi Regis causa, sæpeq. euenit, vt cum se primis tenebris con iecisset in preces, in eodem mane vestigio, in quo primum institisset reperiretur. Labores, ægrotationes, incommoda, quæ inter barbaros pertulit, nec pauca fuere, nec leuia. Sed ea tamen diuina solatia ac cœlestes dulcedines compensabant. ferunt enim solitum dicere, se extremis illis temporibus suæ inter Ethnicos moræ, magnam expertum esse tranquillitatem & pacem, ac tum deniq. ex animi vixisse sententia: vt plane nemo dubitet, quin eum Dominus ad eam gloriam, quam

ei re-

ei reseruauerat, expoliret. siquidem ex Mogoris regno ea virtutum decora reportauit, vt non ex aliqua Barbarie, sed ex quadam quasi officina virtutis rediisse videretur. Sane apud ipsos quoq. Barbaros magno in honore fuit. quem propter eximiam eius animi submissionem speciemq. virtutis, Rex cum plurimũ semper dilexit, tum omni significatione iudicioq. decorauit. sed cum Regis mentem vitiorum multitudo & ingentes spiritus auferrent, nec enim laborabat aliud, nisi vt tanquam Deus aliquis, aut magnus aliquis vates haberetur; Rodulphus Prouincialem per litteras admonet, quam frustra in eo Rege curãdo suscipiatur labor, & quam non operæ precium videatur, in tam sterili solo, quod nihil redderet insudare. rescribit ad eum Prouincialis, vt data â Rege potestate Goamquã primum redeat. Rex & si potestatem nullam dabat initio, vt qui tantam morum suauitatem ipse quoque gustare iam cœperat, eum tamen partim iureiurando accepto, fore vt postquam cum Prouinciali egisset, ipso approbante reuerteretur, partim etiam precibus victus, inusitata quadam officij, humanitatisq. significatione dimisit. Abeunti cum multa offerret aureorũ millia, ille funditus recusauit, quod diceret se, Religiosus cum esset, auro non indigere, nihilque aliud loco muneris postulare, nisi Christianum quendam Moschũ cum coniuge liberisq. quos pœne Mahometanos seruitus diuturna reddiderat. Regina Mater id ferebat ægerrime. Rex tamen, pro eo quanti faciebat Rodulphum, eius postulationi facile concessit. Itaque Goam Christiani illi reducti Christianorum instituto iã viuũt

atque

atque hunc fructum inter ceteros è profectione sua Rodulphus tulit. Vt igitur Goam attigit vix dici potest, quàm vehementer eius insperato aspectu complexuq. exhilarati sint fratres, tum quia vnice diligebatur ab omnibus, tum quia ingens suspicio fuit, id quod ipse quoque suspicabatur, ne vel in seruitute retineretur, vel denique perimeretur. Quamdiu Goæ fuit nemo erat, qui eius sermone consuetudineq. satiari posset, nec modo nostris externisq. Christianis, sed ipsis quoque Ethnicis admirationi fuit. Elucebat in eo Christiana in primis humilitas, quæ tantum illi sanctimoniæ nomen domi forisque pepererat, vulgo vt Angelus diceretur. Cum itaque iam essent omnia ad decus Martyrum tempestiua, deessetq. Salsetano Collegio Rector, cõmodissimum visum est Prouinciali eum administrationi illi præficere, vt non tam suis fratribus dux esset ad vitam, quam signifer & Princeps ad mortem. Est Salsetana regio Peninsulæ instar, quæ ab Insula Goa quodam Maris tractu seiuncta, ab Vrbe ipsa Goa abest passuum millia non amplius nouem, à septemtrione & Oriente latum flumen habet, ab Occidente mare Indicum, à meridie duobus riuulis & præruptis mõtibus à continente diuiditur. ambitur vsquequaque passuum millibus viginti, & Idalcanis regni finibus terminatur. Est autem Idalcan potens Mahometanorum Rex, qui superioribus temporibus, vt finẽ bellis, quæ cũ Lusitaniæ Regibus, gerebat, imponeret, Salsetanas ijs terras, in quibus sex & sexaginta pagi numerantur, possidendas concessit. Ex eo tempore Salseta Lusitaniæ parent Imperio. Incolarum nume-

rus

tus millium circiciter octoginta. in his multi Brachmanes Ethnicarum superstitionum magistri; vt mirum videri non debeat, si gens illa multos iam annos Lusitanis subiecta regibus, nec longe distans á Goa, etiamnum in Idolorũ cultu tam pertinaciter hæreat. In eas oras nullus ante annum 1560. Christianis concionatoribus patebat aditus. Tum primum á nostris sociis incultæ illæ desertæq. syluæ diuino verbo excoli cæptæ sunt. Habet autem hic Societas Collegium dissimile ceterorum, nam quo commodiorem nostri nauẽt operam Ethnicis, non in iisdem sedibus habitant vniuersi, sed in ecclesias sunt tributi complures. Earum sex numerantur præcipuæ, Curtalina, Verna, Margaria, Orlina, Raciolana, Mormugana: quibus in singulis singuli Sacerdotes cum suo quisque ministro versantur, præterquã in Reciolana sede, vbi fere cum duobus Sacerdotibus totidemq. Laicis residet Rector. Atque horum fidei ac procurationi Seminarium quoddã puerorum & Nosochomium, vbi Christiani curentur, est creditum. In hæc loca postquam Societas penetrauit non exiguum illa quidem Christianorum edidit fœtũ sed in eis tuendis augendisque varia sæpe ab Ethnicis tulit incommoda. Quæ causa fuit, cur Antonius Noronia Prorex anno 1567. ducenta amplius delubra, & in his sumptuosa nonnulla præter alias multas Idolorum ædes incendi, æquarique solo iusserit. Ethnici rati id quod erat, tantas ruinas impulsu suasuq. nostrorum editas esse, iras scilicet in nos graues inimicitiasq. susceperunt. & quidem quoties vlciscendi se dedit occasio, eam semper auide arripuerunt. Nam bello-

sæpius inter Lusitanos Mahometanosq. Idalcanis exorto; cum his coniuncti Ethnici Christianorum templa domosque, quæ in Salsetanis agris erant, sacrilegis manibus incenderunt: magna etiam detrimenta Christianis ipsis intulerunt, quorum erat ferme numerus decem millium. Et quamquam recens firmata pax erat, quinque tamen ex ijsdem pagis à Lusitaniæ deficientes imperio ad excitanda noua fana aliaq. Idolorum simulachra, publice adhibitis vt antea ritibus, redierunt. Quinetiam agere cum Prorege, Regeq. ipso non dubitarunt, sibi vt in eo perseuerare, suasq. superstitiones augere, suo arbitratu liceret. Quoniam igitur Alphonsi Pacieci opera factum nouerant, vt ea, quæ ab ipsis falso deferebantur ad Regem, illustrarentur & patefierent; eundemq. suis senserant obstare consilijs, hoc hominem acerbius oderant. Nec minori apud eos odio erat Petrus Berna, qui præterea illud effecerat, vt exercitus is, quem ad eos coercendos comes Franciscus Mascarenias miserat, ipsorum fana dirueret: non enim poterat ferre tantam creatoris iniuriam, vt qui honos rerum omnium opifici deberetur, is rebus creatis, atque adeo Diabolo ipsi tribueretur. Vaccam etiam quãdam, quæ loco numinis colebatur à Barbaris, interfecit, eiusque intestinis polluere vas propinquum non dubitauit, vbi se ad Idoli honorem abluere superstitiosa gens consueuerat. quæ vna omnium contumelia Barbaris est visa grauissima. atque iccirco Bernam vnum ex omnibus oderant acerbissime. Sed cum eos grauiter is, quẽ dixi exercitus diuexaret, pacis & veniæ causa ad

Proregem mittunt, fidemq. suam, & tributa pristina pollicentur. quæ quanquam ex animo viderentur asserere; tamen per simulationem pacis vlciscēdi tempus, occasionemq. captabant. Discesserat sub id tempus in Salseta Rodulphus vna cum Alphonso Pacieco, & in Curtalina sede subsliterat. illuc Patres fratresque, quotquot in alijs erant dispersi sedibus, conuenerunt: Ibique semestribus confeßionibus rite obitis, habitaq. à nouo Rectore cohortatione, sua quisque vota, vt ferebat tempus, instaurarunt. Nec longo interiecto spatio, cum de Ethnicorum conuersione, deq. inspiciendis nostrorum sedibus sedulo actum esset, Rodulphus vna cum socijs Coculinum statuit lustrare præcipuè; tum vt deliniendis Ethnicorum animis eos sensim ad Christiana sacra traducerent, tum vt ad extruendum templum locandamq. crucem locum aliquem legerent. Dominico igitur die, qui dies fuit tertio Nonas Iulij Rodulphus, & Paciecus in arce Racioli, alijq. in alijs sedibus rem diuinam fecerunt. Nocte insequente duo illi, quos dixi Patres, simulq. Petrus Berna Italus, & Antonius Franciscus Lusitanus, vna cum Francisco Aranea, qui Gaspari Goensis olim Archiepiscopi Nepos erat, in Orliensem sedē conuenerunt. Interim Antonius Franciscus cursum sibi inscius ad præclarißimū mortis genus aperiens, scribit ad Coculini primarios, Rectorē postridie cum alijs Patribus eo venturū quare dent operam rogat, vt vniuersi conueniant, habere se, quæ cum illis ipsorum salutis causa vna communicēt. Rescripsit ad eas litteras è Principibus vnus se quidem malis domesticis impeditos (extiterat enim

inter eos ex primarij viri cæde dissensio) conuenire minus cõmode posse, ac pro dignitate Patres excipere; si tamen oppidum liberet inspicere, id ipsorũ commodo fieri licere. Hisce nuntijs Barbarorum excitata perfidia, continuo inter se deliberat, quemadmodum Patres suorum Deorum euersores, suæ legis irrisores pessimis exemplis discruciatos enecet; ei scilicet Triumphos adornans, quibus pestem exitiumque moliebatur. Nostri Idibus Iulij suo quisque sacro peracto sui ignari discriminis Coculinnm rectà contendunt. Prosequebantur illius loci Christiani propemodum quinquaginta, Lusitanique in eo numero duo. Cumq. primos Coculini aditus attigissent, nemoque obuiam prodiret, placuit primarium quendam virum accersere, qui apud suos plurimum auctoritate valebant. is vbi accessit, & causas, cur nemo obuiam procederet, attulisset, abeundi veniam confestim petijt: Nostri, vt maneret, cum exorare non possent, quod is occupationes nescio quas prætenderet, dimiserunt. Eius repentinus discessus suspicionem scilicet attulit. Nostri tamen obeundo pago deliberare inter sese, qui maxime locus ad construendum templum, erigendumq. sacræ crucis trophæum videretur appositus. Quod dum Ethnici quidam, siue illi casu, siue explorandi animo aduenissent, animaduertunt; rem ad alios continuo deferũt. Interim Ariolus quidam, sine quo nihil isti moliuntur, clamores edere, puluerem in aerẽ spargere, nec quid diceret satis perspicuum, nisi dumtaxat illud, aduenisse iam tempus, quo vlcisci violatum Idolorũ numen oporteret iniuriasq. eas, quæ quotidie inferebantur

tur à Patribus. Quapropter hostes facta manu, omnes qua transeundum nostris erat, viarum aditus intercludunt. Tum primum sensere sibi Ethnicorum animos alienos. ergo vt nascentibus malis occurrant, ad suas sedes reuocare se statuunt. Vix paululum redeundo processerant, cum hostium turbam post collem à tergo clamantem, vt in bellis fieri consueuit, exaudiunt: confestimq. euolant ex omni parte armati homines fere mille; alij lanceas concutiunt, alij arcus, & mucrones intentant, alij vociferantur, occide occide. Nostri vero interclusi insidijs dum partim trepidant, vt in re subita, partim vt in ardua sese effundunt in preces; Rodulphus hortatus dicitur socios, vt mortem pro religione tantopere expetitam, ac tam diuturna peregrinatione quæsitam, oblatam à Deo non modo non dubitanter, sed etiam ardenter exciperent. Aderant hostes in nostrorum cædem ardentes, & iam eminus arcus intorserant, cum Lusitanus quidam, vt se suosque defenderet in medium prosilit, & sclopo, quem habebat, admouet manum. Sed ne illata vi barbaros in causa religionis irritasse videretur, reuocat hominem Paciecus negans tum depellendi, sed subeundi periculi tempus esse. Ipse obuiam procedit hostibus, paßisq. vt in amplexũ manibus, mira animi trãquillitate patria ipsorum lingua, ne quid perturbationis metuant, hortatur. Nondum cominus accesserat hostis, cum Christianus quidam, quo Rodulphus vtebatur interprete, Rodulpho ipsi expeditum equum offert ad fugam, quẽ tamen ille recusans, alijs potius comitibus dari iußit, se quidem talem mortem vitæ omni anteponere. Inter

hæc

hæc verba adfuit illico hostium manus & ab eo cædis fecit initium. Huic poplites primo succidit. quo ille vulnere procumbens in genua, intentis in cœlum oculis, diductaque suis ipse manibus veste, nudam præbuit hostili ferro ceruicem. sed ne id quidem ad leniendam carnificis crudelitatem satis: In eas ipsas ceruices, quas Christi Martyr sponte nudarat duas ille graues ac mortiferas plagas imposuit. Ad has quarta accessit, quæ humerum à reliquo corpore penè discerpsit, & ad extremum iaculi vulnus in pectore. quibus quinque vulneribus, animam suo edidit Creatori, à quo totidem redemptus est plagis. Atque huc denique Rodulphum sua virtus prouexit, id quod tanto ardore semper expetijt; Nihil enim tam querebatur cum ex Mogoris regno reuertit, quam quod in medijs hostibus nunquam sibi sors similis obtigisset. Secundus cæsus est Franciscus Aranea, qui in ceruicibus magno accepto vulnere, lateraq. hastili trãsfixus, in veprem se abiecit exanimatus, nempe vt ad illustriorem Christi gloriam extremum spiritum reseruaret. Tertius occisus est Petrus Berna odium publicum Ethnicorũ, qui in occipitio ita vulneratus est, vt ex vulnere pars dissecta penderet, altero etiam oculo telo traiecto, alteraq. aure media grauiter vulnerata: Ac ne tum quidem siti crudelitatis extincta, inusitato feritatis genere in mortui membra sæuitum est. Meminerant ab hoc vaccam super Idoli sedem fuisse mactatam, ab hoc ignes fano circundatos, & Deorum aras euersas. Hic dicere solitus est, quandiu sanguis in Coculino pago non funderetur Ethnicorum conuersionẽ fore

fore nullam, simulq. præsagire animo, sibi esse in ijs regionibus moriendum. Quarta fuit Pacieci palma, cui barbari lanceam cum adegissent in pectus, extensis continuo manibus Crucis in figuram, oculisq. sublatis in cælum alteri vulneri sese intrepidus offert; quod cum in iugulo accepisset, exanimis concidit. Postremus Antonius Frãciscus tum in capite, tum in reliquo corpore vulneratus, honestam vitam honestiore exitu decorauit. Huic accepimus quotidianum sollenneq. fuisse, cum sacrificaret, à Deo enixe contẽdere, sibi vt eius causa liceret cruciatus martyrum experiri. Cæsi sunt deinceps, qui comites sese nostris adiunxerant, omninoq. cædes fuit fere viginti, nam reliqui è medijs hostibus euolarũt, vt esset, qui subitum rei nuntium domum nostris afferret. Tanto autem odio in Patres feritas barbarorum exarsit, vt non modo eorum comites matura iam ætate viros, cædis periculo exæquarint, sed ne iumentorum quidem, aut puerorum neci temperauerint. Hac strage edita, initoq. nostrorum qui cæsi sunt numero, cum quattuor tantum essent inuenti, quos plures fuisse constabat, quintum sollicite quærunt. Nam Araneam, vt dixi, pro occiso relictum vepres abdidit. hunc postea à muliere pastoricia indicatum, extremo spiritu exanguem & confectum, & IESV nomen intrepide profitentem cum extraxissent, repente ad eum omnis generis multitudo conuolat, virorum, feminarum, puerorũq. magnis præ lætitia clamoribus gestientium, qui quo plus Idolo suo haberent honoris, semel atque iterum semiuiui corpus extractum, circum Idolum raptant. Deinde vt eorum mos

est in reorum habenda quæstione, hominem altero tātum pede stare iubent, altero in sublime suspēso. Idolo supplicare cum iuberetur, Non sum, inquit, tam desipiēs, quam vos, qui hæc iubetis, vt lapidibus ac lignis Dei honores habendos putem. Illi ira incitati certo eū in loco constituunt, quo eminus collimarent, in eumq. innumerabilem iaciunt telorum sagittarumq. multitudinem. atque inter iaculandum alia aliјs subinde vocibus exprobrātes, hic demum templum ædificabitis, inquiunt, Hic Cruces vestras figetis. Atque is furor fuit vniuersorum, vt ne pueri quidem puellæque in eius corpore lacerando, suisq. manibus, mucronibus, iaculis, & præacutis sudibus configēdo animum suum satiare possent; cum è suis vlciscēdis Idolis partem aliquam laudis sibi quisque conaretur appetere. Quare & arūdines, & veruta, & alia eiusmodi tela eius cruore madefacta vna cum reliquo occisorum sanguine suis consecrabant Idolis, eoq. ipso, vt eorum mos est, Deorum simulacra festis clamoribus inungebant. Deniq. ita confecto laniatoq. Francisco, vulneribus aliquot in ceruice defixis, reliquum spiritum exhauserunt. Exacto per hæc scelera die, postridie prima luce interfectorum corpora, quæ strata etiam tum erant aliјs quidem ad sepulturam concedi sua cuiq. permittunt; Nostrorum vero corpora per terram contumeliose tracta in puteum deiјci aquæ plenum, ac ne in Christianorum manus venirent, spinis ac dumetis obtegi iubent. Duo præterea honesto loco nati adolescentes in societatem tam illustris martyriј aggregati sunt. Brachmanes erant ambo, & in nostris ædibus habita-

bitabant. eorum alter appellabatur Dominicus eiusdem Coculini oppidi incola; qui quoniam Patribus Idola, quæ comminuerent demonstrauit, ne huic quidem sui ciues pepercerunt. Alteri nomen erat Alphonsus, qui cum Pacieci Breuiarium gestaret in manibus, non prius sibi illud extorqueri passus est, quam vtraque manus absideretur. Interfectus est alius quoque Christianus vir honestus Franciscus Rhotberigius, itemque alius Paulus Acosta, Christianorum illius loci curator, & in adiungẽdis ad Christum Ethnicis iuuandisque Patribus sedulus administer. Ex duobus comitibus Lusitanis superstes relictus est alter; qui exceptus cuiusdam Ethnici misericordia, præsenti periculo ereptus est: alter vero scriba Regis qui Consaluus Rotherigius dicebatur, occisus. Atque hic fuit felix nostrorum Patrum obitus, qui amplificandæ promulgandæq. Christianæ Religionis causa, suas Redemptori vitas obtulerunt, vt sanguis sanguini redderetur. Hæc vt supra dixi Idib. Iul. acta sunt anno Millesimo quingentesimo octogesimo tertio. quo ipso die sunt ab hæreticis annis ante duodecim, Ignatius Azebedus comitesq. nouẽ & triginta, cũ Brasiliam peterent, interfecti. Horum memoriam Goani Collegij socij, dum pijs precationibus pœnisq. recolunt voluntarijs, hi ipsi de quibus scribimus, à Salsetanis Ethnicis mactabãtur. Allatus est hic nuntius postera nocte, quam mors martyrum antecessit, nam, vt dixi, præpropera aliquorum fuga celeres etiam attulit nuncios. Acerbissima primo visa res est nostris, quod tanta Societati præsidia vno tempore essent erepta: sed cum de more se contu-

lissent ad preces, tantam vim diuinæ dulcedinis accepe runt tantamq. lætitiam, vt hac atque illac è suis quisque cubiculis prodeuntes, eam inter se mutuo communicarent: eum vero ardorem præseferrent obeũdi martyrij, vt nouos martyres tum beatos, tum sanctos, alijque alijs nominibus appellarent. Vt autem Rotherigius Vincentius id temporis Prouincialis cum ceteris Patribus in Salseta proficisci constituit ad recuperanda humandaq. sociorum corpora; is fuit ardor vniuersorum, vt profectionem illam enixe omnes efflagitarent, magnusq. mæror inuaderet, si cui remanendum esset Goæ. non tamen omnibus, sed triginta duntaxat concessum est. Qui Coculinum cum peruenissent, atque vna cum Castri Duce occisorum corpora postulassent, patefacere ea initio barbari noluerũt: sed rebus omnibus frustra tentatis, dum tristes, mæstiq. reditum parant, diuino consilio factum est, vt non sine sanctis corporibus, quæ deinde barbari protulerunt, abirent. Vix erat in Castro Raciolo, vbi tum nostri commorabantur, de martyrum exportatione nunciatum, cum aduentantibus ex oppido populus gratulabundus occurrit. Portabatur nobile feretrum à Duce, Lusitanisq. cumq. ad sacellum quoddam B. Antonio sacrum Castro ipsi propinquum vẽtum est, præsto illico fuere patres, qui beata illa corpora frequenti populo, accensis cereis atque Candelis exciperent; præeunte choro modulate canentium canticum Zachariæ. In interiore sacello, tum vt studijs hominum ingentibus satisfieret, tum vt aptius corpora ipsa componerentur; detractis integumentis multitudini ostensa sunt. Hic ea fuit omnium

nium lætitia significatioq. pietatis, vt è nostris multi se nunquam talem expertos esse confirment. Et quamquam triduo ante necati martyres erant, atque in illius putei cœno eorum corpora delituerant, recentes tamen admodum visebantur, præcipueq. Rodulphus, cuius è vulneribus ita recens fluebat sanguis, vt si ea tum accepisset. multi etiam de Rodulphi corpore confirmarunt, odorem ex eo quemdam efflari iucundum; in eoq. sanguinem, qui cum ex omni vulnere, tum è ceruicibus manabat vberrimus, sic æstuasse, ac si succensis ignibus efferuesceret. Quæ res omnium animos vehementer accendit, tantusq. osculantium manus, pedesq. ac plagas impetus fuit, vt iam tum cœlestē Martyrum gloriam videre sibi quodammodo viderentur. Multi reliquiarum aliquid studiose quærebant, nec obsisti vllo pacto potuit, quominus alij aspersis cruore sudarijs, alij reuulsis vnguibus capillisq. discederēt. ac Rodulpho quidē nullus nec in manibus, nec in pedibus remansit vnguis: tanta erat apud omnes eius existimatio virtutis. Corporibus apte cōpositis sollennis quædā instituta est supplicatio, vt quā amplissime efferrētur. ea deportabantur à Patribus crebris cum funalibus canticisq. psalmorum, qui ad eam triumphi gloriam spectare potissimum videbantur. sed lacbrymarū effusione tanta ex intimis orta lætitijs, vt nascentis Ecclesiæ memoriā repræsentaret. Etenim spectaculum erat eiusmodi, vt vel pectus adamantinum frangeret & in lachrymas gemitusque dissolueret. Ad oppidi templum cum hac pompa delata nocte circiter media in arca prægrandi condita sunt, distincta, ac suis quæ-

que vt internosci possent, notata nominibus. Ibi iacent in præsentia, quoad alio Patri nostro Generali transferri placuerit. Postridie eius diei P. Prouincialis pro gratijs agendis missæ sacrum cum cantu solenniq. ritu peregit. nec enim tale funus desiderare alias videbatur exsequias, si quidem pro fidei Catholicæ promulgatione proq. Idolorum signis euersis oppetita mors erat Quod & Ethnici fatebantur ipsi, & ex eorum liquet epistola quadam, in qua scriptum est, iccirco patres d se peremptos, quod in suis regionibus cogitarent Christianorum templa construere. Maxime perturbauit hic nuncius Goanam Ciuitatem, cui Rodulphi, Paciecíq. virtutes perspectæ iam erant. Quo circa ita sunt omnium animi in Ethnicos incitati, vt nisi pro regis nutus prudentiaq. reprimeret, ad expetendas illico pœnas, vlciscendamq. Martyrum cædem vniuersi concurrerent. Sed quoniam parricidæ illi ad Idalcanem Regem confugerunt; censuit Prorex conniuendum esse in præsentia, & in aliud tempus pœnas tanti sceleris reseruandas. Erat Rodulphus Aquauiua Atriensis Ducis filius annos natus tres & triginta, quarum dimidiam partē in Societate consumpserat. Aequalis ferme erat illi Paciecus Hispanus claro itèm loco natus: vterque magnis quibusdam donis instructus ad rem Indicam adiuuandam. Antonius Franciscus Lusitanus trigesimmm agebat annum., fueratq. in Societate duodecim. Petrus Berna Italus è Gallia Cisalpina ipse quoque par erat ætate, sed sexennium in Societate confecerat; Nec multo inferior Franciscus Aranea laicus, qui duo de triginta natus annos vixerat in ea-

dem

dem Societate decennium. Hi omnes, vt ipsimet Ethnici cum admiratione narrabant, intrepidi mortem aut sublatis in cœlum manibus, aut flexis in terram genibus exceperunt. In omnibus flos vigebat ætatis, omniumque erat opera ad Dei ministerium Societatisq. per vtilis. Sed quoniam Christi vinea Martyrum sanguine madefacta vberiores semper fœtus fundit: certissima spes est fore, vt plus ponderis habeat fusus ille nostrorum sanguis ad propagandum & illustrandum Christi nomen, quam eorum sudores ac nerui, si vitam corpusque seruassent.

Habetis Patres Fratresq. Charissimi cum præclaros huius anni fructus, tum partus industriæ vestræ: quorum memoria, his notata litteris, si delectat; quanto tandem iucundius est meminisse, multo eos accuratius in librum vitæ referri? nihil est enim in benefactis hominum tam exiguum, modo referatur ad DEVM quod non ille tanto liberalius vberiusque compenset. Reliquum est igitur, vt quoniam quicquid præclare à nobis geritur, id vniuersum est Dei munus, ab eo precemur enixe, vt sua hæc in nobis munera & dona custodiat. Romæ ex Collegio Rom. Kalend. Maij MDLXXXV.

Omnium in Christo Seruus.

Nicolaus Orlandinus.